




D. 6, 7



2.
ORATIO
NES OCTO.

M. CALEBI TRY-
GOPHORI, in inclyta Acade-
mia Marchica Professo-
ris Logici.

- I. *De luctatione Iacobi, ex cap. 32. Gen.*
- II. *De muliere parturiente & dracone,
ex cap. 12. Apocal.*
- III. *De Spiritu Sancto.*
- IV. *De Latina lingua.*
- V. *De Nativitate Christi.*
- VI. *De utilitatibus liberalium artium.*
- VII. *De Angelis.*
- VIII. *De virgulto Christo, ex cap. 53.
Esaia.*

Frankofurti

Typis & impensis Friderici Hartmanni
Bibliopola Anno 1598.

Cl. 3974



ILLVSTRISSIMIS
Principibus ac Do-
minis.

Dn. CHRISTIANO
Dn. IOACHIMO ER-
NESTO
Dn. FRIDERICO

FRATRIBVS
Marchionibus Brandenbur-
giacis &c.

Dominis meis Clementissimis S. P.

Mirum fortè videbitur vobis
Illustrissimi Principes, quid
sit cur ego nemini ve-
strum antehac vitus, fortassis ne
auditus quidem, eo impuden-
tiae devenerim, ut cessit, V. in-
terpellare meis literis, honorare,
vel potius onerare oratiuncula-
rum oblatione non erubuerim:
ego

ego verò, si non gratiam, at ve-
niam à Vobis impetraturum me
confido, si oblationis causam per-
spexeritis. Nam cum ad tempus
Academiæ huic, quam Illustrissi-
mi maiores vestri publicæ utilita-
ti & sempiternæ nominis sui me-
morix aperuerunt, partim discen-
do interfuerim, partim etiam do-
cendo pro viribus præfuerim: sem-
per maximè delectatus sum au-
gusta illa commemoratione, qua
solemnes congressus Academici
Magnificentissimos Academiæ
fundatores prædicant, eorumq;
posteris, conservatoribus ac tuto-
ribus tanti boni, vita defunctis
æternam quietem, superstitionibus
gubernationem felicissimam ac
diuturnam supplici mente & piè
precantur. Norunt scilicet, non
aut minus grati animi studium,

A 2

aut

aut levius aliquod monumentum
famæ deberi ijs, qui ope sua defen-
dunt data, quàm qui nova dede-
runt beneficia. Quam igitur er-
ga Maiores vestros pietatem, er-
ga Vos observantiam præ se fe-
runt omnes boni, ego quoq; tri-
um oratiuncularum dedicatio-
ne testatam apud Vos cupio res-
linquere: cum præsertim heroica
illa indoles, quæ & naturæ bene-
ficio vobis insita, & fideli insti-
tutione corroborata dicitur, in
spem optimam atq; certissimam
me ducat, fore, ut Academia hæc
aliquando Vos parentes suos ag-
noscat ac celebret, quam equi-
dem sive spem præclarã, sive lau-
dem, ideo pluribus non perse-
quor, ne, quam honestis rationi-
bus adipisci me posse arbitror,
gratiani vestram, assentatiuncu-
la

la quadam aucupari videar. Ac-
cipite ergo Principes illustrissimi
meditationes has sacras, animi
erga vos mei, ac venerationis
symbolum: & quod facitis, Aca-
demiā hanc favore vestro &
meritis dignam æstimare pergite.
Sic celsit. V. cum illustrissimis
Parentibus patriæ gubernationi
& saluti Academiæ quam diutif-
simè incolumes conservet supre-
mus ille Rector & custos omni-
um. Valet. Ex Academia Ve-
stra, Idibus Februarijs Anno
1598.

Celsit. V.

submisſe colens


Caleb Trygopho-
rus M.

13

Oratio

ORATIO I.
DE LVCTA
TIONE IACO

B I.

 Vanquam ita compara
tum est à natura, auditores praes
stantissimi, ut semper minori me
tu ad ea redeamus, in quibus peragendis
antea conceptam formidinem rerum exi
tus dispulit, & spem fortuna superavit:
mihi tamen hodierno die ad dicendi pro
vinciam accedenti, nescio quomodo non mo
do non minuitur animi pavor qui olim me
cum in hanc cathedram conscendere solitus
est, sed vehementius etiam augetur. Nam
cum ante hunc diem huius loci auctoritas
tem contigerim, & in pleno dignitatis e
ruditionisq; confesso verba fecerim, non si
ne timore magno illud quidem, at sine mag
no dedecore: in eam certè venire spem pos
teram, fore, ut si minus de eadem mate
ria, at ex eodem loco dicentem pristina co
mitas

mitaretur ac sublevaret auditorij benignitas; eamq; ob causam facilius patere orationi tua debebat: verum aliter hac atq; fieri solent, mihi usu veniunt. Totus enim ad amplitudinis vestrae conspectum tremo: non quod aut de vestra benevolentia animi pendeam, aut cum Græcorum oratorum principe tot verborum novacula pertimescam: sed quod tam illustris corona splendor mentis aciem adeo obtundat, ut magno opere metuendum mihi sit, ne, quod animo concepi, litteris consignavi, idem voce efferre non valeam: tum verò, quod minor sit mea auctoritas, quam ut solennitati presentis negotij satisfacere posse videatur. Sed quia tamen ad hoc munus me elegit inclyti collegij Philosophici voluntas, eamq; approbavit æterni Dei majestas, Illustrissimi Principis auctoritas: feramus sanè quod debemus ut possumus, quando non possumus ut debemus. Vestra autem auditores humanissimi, lenitas & mansuetudo animum meum tali cogitatione percussum ac debilitatum erigat atq; confirmet necesse est, ut ea velut baculo innixa imbecillitas mea iter in initum facilis tutiusq; conficiat.

Produco enim in conspectum vestrum aliquos juvenes doctrina & virtutum laude ornatissimos, qui ubi primam suam in studiis philosophicis progressum, collegio nostro in privato examine probatum, vobis etiam aliqua ex parte publicè demonstraverint, imitandi sunt honoribus ijs, quos & industria candidatorum promeruit, & Philosophorum concessit liberalitas. quod priusquam fiat has Musarum ferias auspiciabor ludis solennibus, non Apollinaribus istis aut Circensibus, quibus Romani quondam popularem letitiam alebant; sed eiusmodi ludis qui hoc sapientia & pietatis theatrum maximè deceant. Renovabo enim nobilem & per totum orbem ab Ecclesia decantatam luctationem, in qua homo à Deo provocatus, Deus ab homine superatus est: in cuius apparatu si quid deerit, verborum splendor deerit, non magnitudo rerum. Itaq; non est cur in deprecanda venia multus sim: quandoquidem & ea sapientia estis ut rem quamlibet non tam ex oratione dicentis quam ex natura negotij aestimetis: & ea humanitate ut vel conatibus honestis & adumbrationi laudem tribuendam censeatis;

scatis;

seatis; etiamsi perfectio nulla subsequatur.
Neq; vero illorum me deterrebit vel apero-
tus sermo vel tacita cogitatio, si qui sine
qui hanc orationis materiam vel reiiciant
ut nimis difficilem, vel aspernentur ut
parum fructuosam. Operosum sanè hoc opus
omniumq; difficilimum esse testatur mag-
nus & in scriptis sacris plurimum versatus
Lutherus: sed tamen ab illo ipso viro, quem
modò dixi, multa hac in re & tentata sunt
feliciter, & præstita fideliter: ac ne nos
quidem rimabimur ea, quorum intellectum
uberiorem celestis Academia sibi vendi-
cat. Illa tantum lustrabimus quæ nobis om-
nibus observata profunt, neglecta nocent.
Enimvero non in Iudeorum tantummodo
usum hæc litterarum monumenta sunt tra-
dita, sed sapientia Mosaica fontes rivulos
suos ad nos etiam extendunt; nec inscitè
à nonnullis Iudei Christianorum appellan-
tur bibliothecarij: cum vetus instrumentum
novi sit quasi domicilium, novum dies ve-
teris. Christus enim eleganter dicitur &
revera est omnia in omnibus, unus in sin-
gulis: quem cum sectatores Mosaici igno-
rent, quid aliud quàm in clarissimo sole cas-

entiant? Favete igitur animis qui attenti-
one favorem significatis: spectatores vos
præbete ludis istis, qui terra incolis fortè
sunt ridiculi, cæli civibus fuerunt jucundissi-
mi: certo statuite in vnius Jacobi scena rem
agere omnium eorum qui in Christi militiam
nomen dederunt suum. Antequam autem
ad rem ipsam veniamus, occurrendum est
ijs, qui cum Apelle Marcionis discipulo
hanc historiam in suspensionem incertitudi-
nis vocarunt; in quibus tamen refellendis
tantò erobrevior, quantò plures in eo ipso
elaborarunt. Quid enim est quod quis-
quam aut non objectum illis, aut vobis no-
vum possit afferre? Negarunt ij qui de ve-
ro Deo vel nunquam audierunt vel audita
non intellexerunt: affirmatis cum quo
Deus familiares etiam sermones contulit.
Negarunt ij qui infantum instar sine ulla
rerum veterum memoria vixerunt: affirma-
tis, qui non solum novit præterita, sed
futura etiam prædixit. Denique negarunt
ij, quorum jam pridem nugæ oblitterata
sunt: affirmatis, cuius annales non sine nu-
mine tot jam secula conspexerunt, & pari
spacio cum hoc mundo ad terminum suum
decurs

currunt. Quod si annorum series auctorita-
tatem parere scriptoribus potest, nihil hoc
antiquius: si rerum majestas, nihil divini-
us. Reserentur Chaldaeorum, Aegyptio-
rumq; historia: testimonium perhibebunt
huic auctori Berosus & Manethon luculen-
tissimum. Quin ipse terrarum orbis lo-
quitur, tot imperia mutata, tot everse ur-
bes comprobant se vidisse quod ille praevide-
rit, cōperisse quod praenūciaverit. Sed haec
pluribus persequēda nō sunt. Vocat enim nos
ad se Iacobus neq; me diutius de reb; suis ta-
cere patitur. Hic ille est Iacobus, viri clariss.
ille, in qua Iacobus, studiosi ornatiss; qui in ma-
terno utero certamen cum fratre instituit,
& lucem hanc luctando inijt, superando du-
xit, unde non abs re Iacobi nomen tulit.
Augustissimum certè nomen, quod in Nu-
minis divini appellationes adscutum est:
quando aeternus ille rerum pater magnifi-
centiam suam & veritatem ostensurus ho-
minibus, Deum Iacobi se nominat. Præter-
bo nunc alia multa in quibus hunc virum
fortuna acerbitas, vel, ut rectius dicam,
Dei benignitas exercuit, ac virtutem mini-
mè defidem aut ignavam extorsit: Vnicam

tan

tantummodo luctationem in brevissima orationis angustam orbem includam. Annos natus erat 97. cum ex Mesopotamia opulentissimus rediret, in quam pauperrimus erat ingressus: effugerat soceri importunissimi truculentiam, sed nondum effugerat fratris crudelissimi savitiam. Binas quidem turmas secum ducebat: verum qua confligere cum fratris exercitu minime poterant. Quadringentis enim hic viris comitatus imminebat, qui & corporis viribus pollebant, & rei militaris erant peritissimi: illius comites rationem pascendi greges tenebant, non oppugnandi hostes, & baculos gerere non arma consueverant. Quem hic animum fuisse putatis Iacobo, cuius pectus hinc paternus amor, illinc fraternum odium arietis instar concutiebat? Noverat fratris de precepto sacerdotij regniq; primatu indignantis inflammatum furorem: versabatur ante oculos praeconis barbari & inexorabilis savitia: duabus carissimis conjugibus, & undecim liberis suavissimis innocentem ac miserabilem impendere eadem animadvertibat. Sollicitus igitur cura, suspensus metu ad placandum

Esauum

Esauum munera prae mittebat: ipse vel a
fratre impunitatem accepturus, vel fratrem
daturus jugulum cum reliquo comitatu se-
quebatur. Ventum erat ad fluvium, qui ab
hac luctatione Iaboc dictus est, & si histori-
cis credimus, Philadelphiam & Gerasam
interfluit, ac Iordani postea commiscetur:
ubi somnum quidem suadere ipsi poterat
nocturnum tempus, quod diurnam de fati-
gationem exceperat: sed mæroris excubiæ
nullam quietis partem capere misero per-
mittebant. De nocte enim cum uxoribus
filijs & reliquis omnibus vadum traie-
cebat, isdemq; vel relictis vel prae missis,
solus non dormitum sed oratum abibat. Hic
iam plura non dicam: Vos ipsi enim, credo,
auditores perspicitis, quàm terribile sit, si
in somni locum metus vicina mortis succe-
dat. Timidus ac tremens ad implorandum
caeleste numen accesserat: verùm ut caca
noctis obscuritas aerei lucem, sic densa peri-
culorum nubes Dei vultum ipsi quodam mo-
do subtraxerat: ac ne quid terrori deesset,
vir quidam ignotus per tenebras facto im-
petu in ipsum iam ante plus satis exanima-
tum irruerat. Quid queso hic consilij, quid
animi

animi esse potuit? Tempus, locus, & hosti-
lis incurſio ſuſpecta omnia faciebant: timor
rem augebat ſolitudo, improvifa in tene-
bris incurſio oculos animumq; ferebat.
Neq; enim omnes ita firmi ſunt, ut Lacon
ille qui cum nocte monumentum prae-
riens vidiffet ſpectrum, id perſecutus, di-
citur huiusmodi verbis: quo fugis anima bis
moritura & pleriq; potius larvarum ac le-
murum ſpecie obiecta exalbescunt; quem
admodum apud Iobum Eliphaz, omnia oſſa
ſua tum fuiſſe territa, & pilos carnis hor-
ruiffe dicit, cum de nocte unum aliquem
ſpiritum non ſe ad orientem ſed prae-
tereuntem viderit. Sed ut maxime ſpectri for-
midinem à tanta virtutis viro removea-
mus: fieri non potuit quin temporis lociq;
inſolentia terrorem ipſi incuteret. Collegit
tamen in extremis animum, & fortiter ag-
gredientem fortiter excepit. Satyricus
tempeſtatem ingentem breviter deſcriptu-
rus poeticam illam fuiſſe dicit: quid ob-
ſtat quo minus & nos luctam hanc poeti-
cam nominemus & non quod ficti aliquid in
ea permixtum ſit, ſed quod de nulla concer-
tatione pingi aliquid verbis aut fingi ani-

mo possit, quod non impleverit imo excesse-
rit singularis hæc & omnibus seculis in-
audita luctatio. Neq; enim Maronis En-
tells, aut Ovidij Hercules luctaturus pro-
greditur: ne angelus quidem Esau, quod
nonnullis autumasse accepimus, quibus Ra-
binorum præijt ignorantia. Tamen si enim
hic vir ab Hosea nominatur angelus, ab eo-
dem tamen appellatur quoq; Dominus exer-
cituum: ac nisi intelligatur Angelus testa-
menti, quem venturum prædixit Malachi-
as, & à quo se defensum gloriatur Iacobus
morti propinquus: angeli nomen in hoc ne-
gotio ferre non possumus. Novimus certè
multos angelos in effigiem humanam
esse conversos, ut videri ab hominibus
& cum ijs contere sermones possent: sed
& hunc luctatorem longe superiorem fuisse
se angelis novimus. Fuit enim invictus il-
le Heros, & princeps gloria, qui, ut Ter-
tullianus loquitur, semper ad humana de-
scendit colloquia ab Adamo usq; ad Pro-
phetas; idq; plerumq; in carne, quia car-
nem erat assumpturus. Enimvero licet in
omni semper loco fuerit, qui erat Deus nullo
loco clausus: aliter tamen atq; aliter se-
præ

praesentem exhibuit, cum in alijs locis, et
potissimum in hoc congressu, ubi exoratus
convitijs adoritur orantem, liberaturus
vi oppugnat liberandum, vitam conserva-
turus morte territat conservandum. Itaq;
cum Synodo Syrmientiensi damnamus omnes
eos, qui negant DEI filium assumpta Homi-
nis specie cum Iacobo esse congressum. Cur
enim difficile sit carnem visibus suis aptam
formare ei, qui leprosam carnem expurgat,
caecam illuminat, excitat mortuam? Verum
unde inquires, promptum aut quae repositum
est hoc corpus, quod nec durum esse potuit
sine ossibus, nec solidum sine musculis? Ex
nihilō prodijt, in nihilum redijt, & quale
fuit initium, talis etiam fuit ipsius finis.
Sed quid in his ita harco? tempus est ut
luctatores admirandi pugnam ineant.
Prostratus jacebat homo: in procinctu sta-
bat Deus: Homo Deum precibus, Deus ho-
minem convitijs laceſſebat. Deus patri-
mici, inquit ille, te vocante ex patria exij,
te iubente in patriam redire institui. Vo-
cantem ego secutus sum: tu sequentem pro-
pugna, periclitantem adjuva. Indignus es
ego quidem sum, qui tanta recipiam merita:

at tu dignus qui praestes promissa. Tum
hic, erras, ait, erras, qui ad caeli clementis
am adspiras, quod si votis tuis aliquando
apertum fuit, nunc certè est clausum;
ac Deus à te alienus qui quondam erat
propitius. Ecquid putas homo amens
ius illud primatus, quod pulmento fraudis
lenter obiecto mercatus es, divinitus fra-
tri ademptum tibi concessum iri? Falle-
ris si ex humana inconstantia astimas de-
creta caelestia; quae firma sunt, nec refis-
gunt ea quae semel fixerunt. An non vi-
des fratrem esse dominum, te servum?
Fratrem excelsum, te humilem? Actum
est de te ac tuis omnibus. Illi fraterno gla-
dio conficientur, tu meis manibus iam iam
vitam finies. O verè reclusum Deum
atque abditum, Auxilio futurus aderat
illi, quem diligebat tanquam oculi pupilla-
lam, & tamen non seivus ac hostem infen-
sissimum invadebat: ad luctum eius sola-
tio levandum venerat, & tamè ad spectu
oculos, sermone aures, impetu animum
præstinguebat, obtundebat, consternebat.
Quamvis enim relicta omnipotentia, cuius
solo afflatu facillimè ipsum palea ino-

B Bar

star ad casum dedisset, tantas modò vlti-
res exereret, quantæ cadere in hominem
solent: nihilominus adversantem ac re-
pugnantem Deum mens tacita sensit &
rerum natura docuit. Nam reluctante
Deo, omnes res creatæ reluctantur: & ip-
se amnis, credo, Numinis presentia exter-
ritus incitator ferri cepit, ac mundi-
scopa venti, arenam luctatione agitata
atq; turbatam non sine horrore disiece-
runt. Quis unquam tam excelsò animo et
alto sit, ad quem in tanto discrimine non
divertant Hostili regis dii Pavor &
Pallor? at verò Iacobus qui ante pugnam
videbatur cervo timidior, in pugna leo-
ne sit animosior. Minimè, minimè, in-
quit, in hac regione vltima patiar, qui
redire in patriam iussus sum: nec mor-
tem mihi adferre tu poteris, cui Iehova
vitam & felicitatem pollicitus est. Via-
tam tu miser & felicitatem à Deo pro-
missam somnias? cuius lateri tanta
comes est calamitas: cuius vertici
mors presentissima imminet? Fra-
tri tuo, mihi crede, debetur quam tu ti-
bi spondes felicitas: fratrem Deus re-
cepit

cepit, te rejecit: nec est quod spem post
hac ullam salutis aut divine gratia ani-
mo concipias. Quid hac voce dici pos-
test durius? quid cogitari acerbius?
Maledicta quae corporis auribus obijciun-
tur, molesta illa quidem sunt, sed ferri
tamen possunt: & multi ex Ethnicis cla-
more convitiisque plurimum jaectati ma-
gno animo sustinuerunt opprobria: illa
vero quae anima ingeruntur, quovis cru-
ciatu, atque adeo ipsa morte sunt acerbio-
ra. Paupertas aliquem premit: invidi-
a exagitat: morbus debilitat: dolor
angit: vita deserit: sperni haec omnia aut
tolerari queunt, dummodo Deus ipsi rea-
linquatur. at quis spei locus sit si Deus
servare vel nolit vel non possit? Dubi-
um non est quin afflictus animus mille co-
gitationibus tristissimis huc illuc distra-
ctus fluxerit, quando cum luctatoris ser-
mone convenire omnia perpendit.
Magna enim & illustra suppeditabant
argumenta cur abiectum se & ob-
livioni traditum crederet: neque non
firmis fundamentis nitebatur illa
spes quam de incolumitate sua ceperat:

B 2

sed

sed quantum interest inter ea quae animo
futura creduntur, & ea quae praesentia
oculis cernuntur: inter ea quae explorata
habemus, & ea quae in expectatione sunt
tanto intervallo fiduciam haesitatio ante
cedebat. Florere animadvertibat Esau
in imperio, opibus, honoribus, & omni fe
licitatis genere: ipse in exilium eiectus
laboriosissimam & amarissimam vitam
duxerat, à quibus arumnis cum paullulum
respirare inciperet mox gravioribus ob
ruebatur. Ardentissima certè ad omnem
spem comburendam faces, dolosissima
ad animum deiciendum machina: sed
flagrare tamè non deflagrare, oppugnari
non expugnari pectus fide munitum potuit.
Ille huius animi tentationibus, hic illius
veritatè promissionibus corripiebatur: de hu
ius vita agebatur, de illius gloria: urge
bat ille huius fidem, hic illius promissionem:
adeo ut in maiori discrimine versaretur
Dei veritas, quam Iacobi incolumitas.
Fremat hic luctator, inquit, se viat, gras
setur: animam fortè mihi eripiet, aut cor
poris membra confringet: nunquam labe
factabit vim divini verbi. Quamvis
igitur

igitur onus Ethna graviter Iacobum pre-
meret: non succumbebat tamen, sed mag-
nis tam corporis quam animi viribus re-
sistebat. Neque enim verbis solum & cog-
itationibus res agebatur, sed effusus si-
ne intermissione corporis labor cum ani-
mi contentione erat coniunctus: & modò
hic modò ille profligaturus videbatur al-
terum. Quin & stratagemate utebatur
Dei Filius, quod adhibere solent luctato-
res periti, & quò facilius Iacobum pro-
sterneret, vertebrae femoris tangebatur.
& os quod rotundum ei inest, loco move-
bat, ut sic luxato membro concideret. Ve-
rum tantus erat vel mentis ardor & vi-
etoria cupiditas, vel ex mortis periculo
ortus stupor, ut femoris dolorem minimè
sentiret, sed integris viribus lacertisq;
pugnam sustineret. Video luctationem
hanc multo brevius multoq; exilius à me
tractari quam ipsius magnitudini conve-
niret: sed quis modus futurus erat, si om-
nes brachiorum et pedum motus, omnes
corporum iactationes & oppositus lateo-
rum exprimeret verbis ac dilatare sermo-
ne velim? & iam, nisi me animus fallit,

Sunt qui tantum pavoris exitum pavide ex-
spectent. Itaque ad illam certaminis paro-
tem venio, in qua ab homuncione imbelli
fidei robore victus, fidei catenis ligatus
est is qui metitur pugillo aquas, calum
palmo ponderat, terrae molem tribus ap-
pendit digitis, ut loquitur vates: ad cu-
ius nutum liquefcunt montes, caligini cae-
lum se involvit imatellus concutitur &
fundamenta revelat. Cesserat iam nox
& luctando defatigatus uterque anhelans
rem spiritum ducebat, cum Dominus ser-
vo quasi sublata manu victoria palmam
offerret. Mitte me, inquit, quoniam
aurorate ad tuos revocat, ego autem
virtute impar, tibi cedo, tuam esse vi-
ctoriam lubens agnosco, merito fateor.
O admirandum genus victoria, in quo
homo claudus de fortissimo Deo triump-
phat. Nondum cognoscebat cum Iacobus
cum quo in arenam descenderat: sed
mens tamen augustum aliquid & rebus
humanis altius presagiebat: harebat in
visceribus verborum acerbitas, quibus
pessime audierat, tanquam illusus à Deo
& ab omni ope divina destitutus. Quam-
vis igitur membrorum lassitudo recessura

Et quietem, non pugnam et contentionem
longiorem postularet: quiescere tamen
non potuit, antequam à probris ad bene
precandum luctatoris sermo revocaretur.
Non dimittam te, ait, nisi retractes dira
ista quibus me terruisti, Et Deum sponde
as propitium, quem alienum esse iacta
bas. Quid faceret mitissimus luctator?
Sciens, volens, sua ipsius virtute in Iacobo
victus erat, cui plus roboris suppeditarat
ad repugnandum, quam ad oppugnandum
ipse explicaverat: Et iam clementiae au
rora importunitatis nubeculam fugaverat.
Proinde non quod ignoraret eum, cui
ius nomen in manu signatum gestabat,
sed ut ad praconium et benedictionem
aditus esset, de nomine quarebat. quod
cum accepisset, minus, inquit, splendidum
Iacobi nomen est, quam ut tantae virtuti
sufficiat. A planta pedis fraterni, quam in
matris utero arripuisti, Iacobus diceris:
posthac illustriori titulo clarus Israel vo
caberis. Antea hominem subegisti: nunc
ab ipso Deo victoriã reportasti: maiori vic
toria laus maior debetur. Magnũ decus
quondã apud Romanos erat, auditores, si

ad dignitatem equestrem elati, veteri nomine abiecto, novum acquirerent: majus si rebus praeclarè gestis civitatū aut regionum nomina suis nominibus adiungeret maximum si propter dilatatum imperium, post funera cooptatis nominibus novis Diis indigetes proclamarentur. Quid verò si cum hoc titulo conferantur, an non vana omnia & obscura aestimanda sunt? Epaminondam ferunt, cum prope Corinthum in trophaeum incidisset quod Chabrias post devictos aliquot Thebanos sub manibus avidius pugnantes erexerat, ridentem dixisse: hic positum decebat non trophaeum sed hecatæum: quanto id nos magis dicere possumus de ceteris bellicæ laudis insignibus & monumentis, cum omnes hominum molitiones lusus sint præ certaminibus cum Deo initis: nec ulla unquam corona fuerit celebrior illâ quam victori suo victus Deus imposuit, quando Israelem pronuntiavit. Facile erat Iacobo tum ex conjectura animi, tum è sermonis iudicio colligere quisnam esset cum quo manus conseruerat: sed maior adhuc erat vel trepidatio propter metum, vel
fatis.

fatigat 10 propter motum quam ut satis
percipere verba, aut ad ea referre ani-
mum & cogitationes posset. Itaq; ut
suum quoq; nomen luctator aperiret roga-
bat. Non impia illa fortè fuerit cupi-
ditas: verùm aurora tempus erat in
quod Iacobi aetas inciderat, nec Iustitiæ
sol perfectò fulgore, ut nunc conspicieba-
tur: ex quo effectum est, ut nomen suum
absconderet, promeret benedictionem. Si
quam perturbationem, inquit, tibi prior
mea attulit oratio, eam omnem adimet
hac posterior. Innumerabilis tua & in-
finita erit posteritas, sempiterna felici-
tas. Beneficio te aliquis complectetur?
rependam; malè precabitur? perdam:
quandoquidem in semine tuo omnibus in
toto terrarum orbe gentibus benedice-
tur. Hic iam penitus aperiuntur oculi,
& qui crassis occultatus ac circumfusus e-
rat tenebris luce palam conspicitur Dei
Filius: id quod & verbis testatum fecit
Iacobus, & posito monumento postérité-
tem edocuit. Mirari non neminem,
credo, auditores præstantissimi, quomodo
Iacobus se Deum à facie ad faciem vi-

disse gloriari possit : cum prophetarum
maximus Moses videre Deum sine mor-
tis periculo nequiverit, ut maxime hoc
desiderarit : sed mirari desinet, si diver-
sis modis conspici Deum posse considera-
verit. Videtur enim non secundum pleni-
tudinem divinitatis, quae lucem eam in-
habitat in quam penetrare acies humana
non potest : sed secundum capacitatem
mortalium, quae vel in assumpta imagine
vel in operibus magnificis maiestatem al-
dam quodammodo intuetur. Quemadmo-
dum enim oculi hebetiores solem non nisi
in aqua adumbratum leviter adspiciunt :
ita imbecillitas nostra Dei faciem non
nisi involucris tectam contempletur. Vi-
dit igitur Iacobus, & insolito atq; extrao-
rdinario modo vidit faciem invisibilis
Dei in filio, quam nos per Evangelij spes-
culum quotidie collustramus. Tanta autem
letitia ex sola hac contemplatione gestie-
bat, ut nec dolendi materiam ipsi afferret
luxatum femur, nec gloriandi voluntatem
parva victoria, sed omnis praedicatione es-
set de conspecto Domino & liberata ani-
ma. Ipse vero hic caeli facies latior,
Co

Et lucis vehiculum sol exoriens de illis
eius diei celebritate gratulari ipsi visus est
quando claudicantem femore, sed fide
triumphantem ad suos redire conspexit.
Hic mihi venit in mentem eius femina,
qua filio quondam offerens clypeum, hunc
inquit, tibi pater servavit: tu eundem
serva, aut ne sis. Quid si historia huius
auctor iisdem verbis nos quoque compel
let? Etenim quod semel cum Iacobo ac
Elum est forma visibili, idem quotidie
in singulis Ecclesiae membris rectè per
agitur, omnibusque iis, qui Israelita no
minari cupiunt anxio pede premenda
est quam ille pressit orbita. Ingredia
mur enim hanc vitam non aliter atque pa
lestram, in qua caelestis pater iuvenilem
spiritum excitat, variisque luctationum
generibus exercet. Omittam in præ
sentia plenum periculi certamen cum
circumfuso vitiorum exercitu, qui as
siduè nos adoritur: fœdus enim hoc
adversariorum genus est, quam ut divi
nitus in nos immitti statuendum sit.
Quoties pi homines pelluntur in
exilium, rapiuntur in carceres,
exuana

exuantur bonis omnibus, affliguntur, caeduntur, infamantur, condemnantur & quot sylva in comburendis Christianorum corporibus absumpta sunt: quot gladij sanguine ipsorum adpersi? quot funestata flumina? In his omnibus ita semper existimandum est, negotium esse cum Deo, qui, ut rebus secundis vitam hominum ornat, ita adversis frenat. Nam quod impie scriptum reliquit Statius, Primus in orbe Deos fecit timor, id nos adhibere pie possumus: cum ipsa veritas doceat, et experientia testetur, tum demum homines in cogitationem adduci de placando Deo, cum in arumnis & calamitatibus miserabiliter degunt. Sed tamen in istis omnibus tolerandis infraeto animo sunt, quicumque in mundo caelum quaerunt, in caelo Deum: illa robur magis heroicum postulant, quae Deum ipsum tanquam in exitium nostrum armatum contra nos producunt. Fieri enim non raro solet ut irati ac repugnantis Dei cogitatio mentem dubiam percellat, omnisque consolationis expertem in extremum discrimen precipitet. Tum vero ani-

mus ager, cui maror tristes tenebras &
noctem offudit, in densa caligine oberrat,
nec quo sese recipiat invenit: & Deus
voluntatem ac vultum aversum adver-
sumq; præ se ferens, facit prælium, & ad
profligandum congregatur. Hinc Ionas in
leone marino abditus se à Dei facie di-
motum conqueritur: hinc Paullus se de
vita desperasse & iam extinctum fuisse
commemorat: hinc anima Iobi de suspensio-
dio cogitavit: hinc deniq; illa euulantis
Ezechia lamentatio: migrandum mihi
est ad portas inferni: non videbo Domi-
num Deum in terra viventium: quin ipse
Dei filius à Deo se desertum esse contem-
pta voce proclamavit. Quid ergo? ca-
dendumne animis in hoc certamine, &
fugiendum prælium? nullo modo: sed
potius imitandus est Persarum rex
Cyrus cui cum Clearchus auctor esset ne
in belli discrimen sese coniceret, iubesne,
inquit, ut quum regnum appetam, regno
me indignum ostendam? Frustra enim
Israelitarum nomen venamur si luctari
cum Deo vereamur. At enim cum ho-
mine viribus superiore congregari audacia
est.

est: cum Deo conflagere extrema etiam
insania. Esto: insanissimus sit, qui cum
Deo sine Deo contendit; quales multi re-
periuntur qui gigantum more ipsi caelo
bellum inferunt, & furiosè potentiam su-
am divino robori opponunt: Sed hi aut
fumi instar ira Dei levi aura discutun-
tur, aut fatuis ignibus à recta via abdu-
cti in Orci cavernas caeco impetu ruunt.
Punit enim Deus audaciam, frangit per-
tinaciam; omnisq; magnitudinis ostensio
coram Deo vana est. Deum propug-
natorem habeat necesse est, qui Deo sine
impietate & pernicie repugnaturus est.
Idem enim & ad luctandum nos provo-
cat, & ad resistendum armat, ac seipso in
nobis fortior est. Non autem armis ac
ferro hic decernitur, non ballistis aut reli-
quis telorum tormentis dimicatur: sed so-
lus precum & fidei machinis caelorum Do-
minus superatur. Neq; verò qualibet pre-
catio istam vim habet, sed ea tantum, quae
non inani strepitu ventorum auras pulsae
sed sancto gemitu Dei aures penetrat, quae
non clamans tacet, sed tacita clamat, atq;
adeò totum hominem secum rapit. Non e-
nim verba Deus numerat, sed mentē pon-

derat; quae si fidei nervis vibrata obtestati
onū iacula emittit, nubes persecat, et non
solum victoriae trophaea in caeli orbibus figit
ut preces Iosuae, sed à spiritu divino quasi
omnipotentiam nacta, omnipotentem Deum ca-
pit. Nam licet interdum, ut dixi, desperati-
onis tenebras inducat delictorum recorda-
tio, ac iustitiae divinae horrenda facies in-
nos irruat, et mortem aeternam atrociter mi-
nitetur: si tamen Mediatoris in cruce ex-
pansa brachia arripiantur, nubes quae in-
terveniunt infra feruntur, nec diem pe-
nitentiae vincunt: Deus vero simulare iram di-
utius non potest, sed vinci se ultro patitur.
Nobilissimum enim hoc et unicum strata
gemma est quo Deus vincitur, si à monte Si-
na ad Sionem fide convertamur, et pro lege
Euangelium, pro Mose Christum apprehē-
damus; quod eorum tantum est, quibus Dei
voluntas ex promissionibus nota est, et quo-
rum dextram ipse Deus roboravit. Enimve-
ro non ideo nobiscum concreditur Deus
ut diuturnis nos macet supplicijs, sed
ut aeternis afficiat praemijs: non ideo
contrarius est ut nos exstinguat, sed
ut animos à socordia atque desidia,
quae non solum in bello inducias, sed in

medio conflictu pacem somniat, advocet,
ac matrem in felicitatis securitatem à
nobis propellat. Quae enim corona erit si-
ne victoria? quae victoria sine certami-
ne? quod certamen sine adversario? Si-
cuti ex alvearij stridore ac tumultu inco-
lunitatem apum colligimus, quas ple-
rumq; interyisse experimur si altum sit si-
lentium: ita strepitus hominum cum Deo
luctantium salutis integra indicium est,
laxamentum verò & omnis tentatio-
num vacuitas nescio quid mali ominis
portendit. Vacuitatem illam dico, quae
carnē usq; adeo securitatis somno oppressa
sua tenet, ut ne minimam quidem pecca-
torum cogitationem obrepere ipsi patia-
tur: non autem requiem eam quae lucta-
tionem consequitur, atq; ita fundamen-
tum laboris est, ut labor ornamentum
quietis. Neq; enim dimicatio haec per-
petua est, sed ita eam moderatur Domi-
nus, ut sufferri à nobis possit: mœrorem
q; nocturnum letitia matutina excipit:
& ubi primum Evangelij lux oritur, fidei
oculis cernimus nos non implicitos teneri
brachijs luctatoris, sed in amplexu hære-

re

re Servatoris, qui si deserturus nos non
nunquam videatur, & sapientissimi So-
lomonis voce nos compellet: averte à me
oculos, qui fecerunt ut a volandum mihi
sit: circumvallari potest ejusdem sapientie
machinis: Inveni quem anima mea dili-
git, teneo eum nec dimittam, donec in do-
mum matris meae introducam. Hic iam
fieri non potest quin maneat nec ut illos,
à quibus desertus est, nos deserat, sed po-
tius dulcissimis verbis in varicino Esaiæ
expressis erigat: Paullulum relinqui te,
at misericordia multa visam: in momen-
to indignationis abscondi à te faciem, at
sempiterna gratia tui miserebor. En
finem luctæ: en speratam victoriam,
cruentam illam quidem certè interdum
sed tanto splendidior, quanto fuit pe-
riculosior concertatio. Quid est quod
desiderium rerum caelestium voluptatem
terrenam debilitat, & crescente amore
Dei arescit amor huius seculi, nec ulteri-
us pedem alterum curis terrestribus im-
poni patitur? Quin sic attendite.
claudicavit Iacobus pede, ne insolesceret
ex victoria, & suis viribus tribueret,
G. quod

quod DEO acceptum debebat, cuius virtus
in hominum infirmitate perficitur.
Innatum enim nobis est superbia malum
quod primum recedit à DEO, ultimum
redit; cuius venenum facile auxilij di-
vini memoriã nobis eriperet, si infractis
viribus ex huiusmodi luctatione evades-
remus. Naq; cum ex nobis fragilissimi si-
mus, per Dominum autem invicti; insu-
lencia nostra frenum, humilitati stimu-
lum adhibet, quando ita à nobis vincitur,
ut nos percutiat, ita nos erigit, ut quo-
dammodo deiciat: & tamen misericors
pater, ut eleganter canit poeta, sua in no-
bis dona coronat; quando se fidei & pres-
cibus nostris totum dedit, et in hoc nostro
exilio ita nos deducit, ut sapientiam su-
am Labanis impij fraudulentia opponat,
vires crudelissimi Esau copys: ut aut ex-
pediti & soluti periculis iter conficiamus
aut vulneribus ac morte confecti spiri-
tum quem inspirando nobis dedit, exspe-
rando fortiter ipsi reddamus, atq; ita in
patriam illam celestem, unde eximus, e-
grediamur; ubi quod nobis preparatum
est gaudium. Celoquar verbis Augustini,
quo

quod meis commodè effari nequeo) fide
non comprehenditur, spe non tangitur, de
sideria & vota transgreditur: acquiri
potest, estimari non potest: habet de pera-
ceptione fructum, non habet de satieta-
te fastidium. Agite igitur Israelita
strenui, occurrentem Deum precibus pra-
estolemur, fide adoriamur: feramus ma-
lum ut bono potiatur. satius est muti-
los & semifractos amplecti & videre
Deum benedicientem, quam voluptatum
laqueis irretitos sentire execrantem. ne-
gligamus rationis lucem, ut fidei oculis
Dei propitij vultum contueamur: exuas-
mus virium nostrarum fiduciam, ut di-
vino robore induti Deum vincamus; què
si vicerimus, nihil quod horreamus super-
erit. Cur enim metuamus homines,
qui propter extorta DEO victoria arma
formidabiles sumus diabolis? cur mun-
dam timeamus, qui divinis promissioni-
bus de calorum rege triumphavim-
us. Tales omnino vivamus ante-
quam moriamur, quales vixisse velimus
mortui. Tum tu aeternè miseri-
cors DEVS, in cuius sinu cu-

ORATIO

C 2

VAS

vas nostras effundimus, in cuius ope
presidium nostrum collocamus, non con-
teres omnipotentia tua folium tenue
& stipulam aridam, sed contra te nos
eriges, & virium nostrarum defectum
tua gratia complens te in nobis vices,
Effice o sancte & admirande parens,
ut aut animi nostri aures non admit-
tant hanc vocem: reiectus es à DEO:
aut tua benignitate quod opponi possit ar-
ripiant, nosq; pulsa desperationis nebulæ
la Iustitia solem Filium tuum
in clara Evangelij luce
contemplemur.


D I X I,



Oratio

ORATIO SE
CVNDA.

DE MVLLIE
RE PARTVRI
ENTE ET DRA
conc.

 *Q*uod de verbi divini
ministris egregie fidelibus,
vir quidam sapientia clarus
etate gravis & venerandus
dixit; eos Diabolorum esse tragediam:
id nos de universo Christianorum cata
adfirmare posse, nemo dubitabit, cui cates
natorum tempestates dolorum, mærorum
q, procella, quibus ab ipsis rerum primor
dys oppugnata Ecclesia & concussa est,
perspecta sunt & cognita. Docet enim
memoria vetustatis, & recentium quoq;
nuncia rerum historia, quàm ei semper
terrarum orbis clausus fuerit, quàm cir
cumventa ab invidis, prodita à famio
liaribus, deserta à potentibus, pavores

intus, foris pugnas sustinuerit, ac mun-
do mundiq; Principi ludendi occasionem
præbuerit. Quid enim veterator iste &
hostis humani generis teterrimus in sub-
ditos non auderet? cum dominum ipsum
tot machinis adortus sit, tot sceleribus ve-
xarit. Experti certe sunt ista vexatoris
rabiem, qui dilaniandos artus crude-
lissimis tyrannis exposuerunt; & tor-
ta tormentibus fortiores, rupta visce-
rum compage, cruore glorioso inimico-
rum mentes oculosq; satiarunt. Quare si
magno omnium applausu leguntur, qui
aut mestissima matris, obitum filij lügen-
tis, ungues in homicida oculos armarunt;
aut lamentantem patrem unice filio lefu-
neri spectatore ad aras adduxerunt: ma-
iorem, meo quidem iudicio, attentionem
meretur, qui non sua industria in veta-
m sed Spiritus divini opera instructam atq;
illustratam imaginem nobis spectandam
proposuit; ex qua assidue piorum homi-
num cum quadrato impiorum agmine
luctationes elucet. Neq; enim futuro-
rum pictor ille Iohannes in apocalypses
sua capite duodecimo aut Cybetem gemi-
nis leos

nis leonibus, aut pavis tunonem, Venerem
cygnis vectam columbisve exprimit: nec
tædam illam mulierem exhibet, quæ a
libi sese reginam ab omni viduitatis me-
tu ac dolorum morsibus immunem gloria-
tur: quæ neq; sponsum amat formosissimum,
nec ambit nobilissimum, nec reve-
retur potentissimum; quæ inops non con-
pellat opulentissimum, stulta non consulit
sapientissimum, iniusta non metuit iustissi-
mum; sed feminam illam introducit,
quæ, licet viduam se conqueratur, ac
turturis instar, semper vehementius in-
gemiscat: tamen à celesti sponso in hono-
rulum accersita, suavis ac decora, imò
pulcherrima mulierum, in Salomonis can-
tico proclamatur. Quemadmodum au-
tem in radijs solaribus euntem umbra co-
mitatur: sic cum hac celesti tæmina ad
iusticiæ Solem incedente, infernalis Draco
atq; implicatus est atq; coheret, ut prodire
illa quoquam nequeat, quin hic eodem
contento cursu studioq; acceleret. Ita-
q; etiam à divino hoc histrione post Mu-
lierem tali apparatu in spectaculum
deducitur, ut facile & virescitur & vob

luntatem possis agnoscere. Ac ne diutius
suspensam spectatorum expectationem
teneat, tandem etiam extrema persequi-
tur, & viduam afflictissimam contra in-
fensissimi hostis impetus in solitudine tam
diuturnam, clausam, septam, atq; muni-
tam collocat, dum ad constituti temporis
metam in quietis portum àferatur.
Quando igitur hoc tempore delubra san-
ctissima religioni consecrata, victoria tro-
phaea, de immanissimo hoste, ponentium
voce personant; & conjuncta omnium ora
Numinis opem auxiliumq; in posterum ex-
poscunt: agite spectabilis Dn. Decane, vi-
ri praestantissimi, & vos à nobilitate, à lit-
teris, à virtutibus cōmēdatissimi juvenes,
concedite ut propter vindemiam à labori-
bus solitis feriatus, hanc, si praesentis
vitae scena spectetur, tragoediam; si fu-
tura, comœdiam, in ornatiſsimam coronam
hanc vestram effundam. Ego quanta fieri
poterit brevitate, Ecclesiam et eius hos-
tium verò pugnam partis utriusq; pug-
nae exitum perstringens, mihi dicendi, vo-
bis audiendi molestias adimam. Quae est
igitur illa (liceat mihi hoc in loco verba

muta-

mutuari ab omnium sapientissimo) quae in
quam, illa est, qua progreditur tanquam
linquens aurora cubile, pulchra ut luna,
splendida ut sol. Perfecta est, columba
Domini, una matris carissima; quam mun-
di procreator et custos non tantum est regum
principumque turribus; sed ex infima etiam
sortis ac tenuis fortuna adiculis elegit, co-
lectam vocavit, vocata se ipsum tradidit;
ut verbi vitalis aqua expurgatam, san-
ctam augustamque redderet, atque Ecclesiam
macula rugarumque expertem sibi compa-
raret. Non enim obstitit Iobo pessima cor-
poris constitutio: Lazaro paupertas: Ore-
simo despectio; quo minus in regis aeterni
thalamum deductus sit. Operiat iam na-
tura corporis oculos tegumentis istis, quibus
eos vestit; quo ad formam huius venu-
statem ac dignitatem mentis oculi possint
adiici. Nam, si externa illa aestimetur spe-
cies; quis haereticus tam ineptus est, ut
non ea videatur sapientior? quis Damon
tam infirmus, ut non robustior? quis erro-
ror tam vanus, ut non nervosior? At ve-
ro in mentis luce tantus est eius splendor
tanta claritas; ut nitidissima quaeque ad

C S ad

ad spectum eius assa obsoleant. Etenim
si à summo vertice, ad imos ungues consi-
deretur, nihil in ea est, quod non pulchrit,
decorum, insigne, divinum sit. In capite
enim coronam fert, non gemmis illumina-
tam sed stellis: à corpore demissa vestis
non fulget ut regum quondam vestitus
purpura; verum ut radij solis longinquas
etiam regiones lustrat & complet. Non
terram illa contingit, sed ex mortalibus
& caducis exempta, sub pedibus lunam
conspicit, qua omnia quanta & quam pre-
clara sint et si ipsi intelligitis, tamen hoc
an loco à me præteri non debent. Nisi
fortè prætereundam illam diem statueri-
tis, qua omni splendore suo spoliata hæc mu-
lier, nuditatis deformitatem contextis
si vim folijs tegebat, ac tarpificatum co-
nimum à mariti sui oculis pudore suffusa
removebat: cum iam sacro fonte purga-
ta verum iustitiæ Solem Christum indu-
erit; qui solus ipse lucet, à quo solo pendet,
cui soli se fingendam formandamq; dero-
mittit. Discutiantur scilicet ad hanc fa-
ciem, opinionum falsarum caligines & ob-
fuscatur rationis illud lumen, quod pene-
trare nubes, & abditissima quæq; scrutari

vi, & in iudicij sui lance m donec cona-
tur, interim non lucem ver bis, sed densis-
simas offundens tenebras. Neq, enim Ec-
clesia adeo gloria vento inflata est & tur-
gida, ut cum Iuliano Apostata fidem, non
dicam inscienter sed impie ac scelerate,
stupiditatem asininam dicitur, aut
ammolandis hostijs, fermenti ac mellis
sui quicquam admisceat: sed quod in sa-
cris ostenditur prona osculatur, quod pla-
num non est simplici fide adorat, I-
taq, etiam duodecim stellis fulgentem
coronam capiti habet impositam, ut glo-
riam splendoremq, suum infidelis impe-
rio fundatum, & Apostolorum voce
munitum esse declaret. Quanquam
enim calorum Regi perfidens desponsata
est, eiusdemq, permissione regni gestas
claves: non verbo tamen vim infert,
sed tuetur ipsum & explicat, nec mu-
tandi sibi, sed testificandi vendicat
imperium. Novit enim cervicem
submittendam esse ijs, qui admitti
ad Augustum hoc palatium cupiunt:
& humana sapientia tumidis ad sa-
crum limes interclusum esse aditum.

Proin-

Proinde stellis quidem caput subijcit, lucem
nam autem pedibus conculcat et proterit
Nam cum politiam suam apud calites
constitutam videat, terram non moratur
ne mundi luxuria dedita, ex aeterna feo-
licitatis contubernio extrudatur. Itaque
non Esau pulmentum, aut Aegyptiorum
curat raphanum; nec auri fame excru-
ciatur; quod optatum maximo labore
quaeritur, quasitum maiori sollicitudine
asservatur, asservatum aliquandiu maxime
ma tandem dolore amittitur. Nec vero
hones appetit; qui ideo erubent al-
tius, ut graviore lapsu homines precipi-
tent; aut cuticulam bene coloratam; quae
vel unius febricula afflatu interit. Si-
cuti enim luna modo accrescit, modo de-
crescit: ita haec omnia incerta, volatilia
falsa sunt, neque in hoc neque in illo loco con-
sistunt, et quo quem magis pascunt, eo ca-
tiam magis inficiunt. Quam praestanti
forma haec femina sit, videtis: iam quae
eius sit fortuna considerate, idque ex eo,
quod gravida, et iam ad pariendum vi-
cina, maximo dolore excruciat. Nul-
lius morbi cruciamentum gravius, nullius

us angoris tormentum esse tetrius quàm
parturientis laborem, si nihil aliud, certè
funestum illud Numinis omen testabia-
tur, quo sexus hic acerbissimis cruciatibus
in perpetrati facinoris memoriam, deuo-
petur. Quot enim mulieres, quem pri-
mum proles, eundem extremum suæ diem
vitæ conspexerunt? quot mariti eodem
tempore coniugibus ac liberis lacrymas
dederunt, & eundem posuerunt titulum?
Neq; tamen alienum à coniugio & libera-
torum procreatione animū habet divina
maiestas, sed generis humani seminarium
illud unice amplexatur ac diligit. E-
nim vero non omnes in illo cum morte con-
flictu succumbunt, sed plerq; à caelesti ob-
stetrice debiles excipiuntur, diffidentes
rebus suis confirmantur, afflicta eriguntur,
mæstæ singulare letitia perfunduntur.
Ita nec Dei cum hac muliere ini-
tum connubium sterile est, sed quæ alio-
quin nihil ferebat, concepto verbi semi-
ne, multiplices fœtus procreat: nec mi-
noribus, partu maturescente, dolorum
facibus accenditur. Quid enim Eccle-
sia laboriosius, quid magis sollicitum, quid
magis

magis exercitum dici aut fingi po-
rest? Iens it, atq; à fletu nunquam des-
sistit. Etenim hac sunt insculpta annulo
pronubi insignia: Tribulatio & angustia
invenerunt me. Hoc est Epithalamion
quo sponsum sponsa cantando semper imi-
tatur suum: Dominus deseruit me, Domi-
num mei cepit oblivio. Hoc est quod illam
angit, quod excarnificat, quod vitam ip-
sam acerbam reddit, quod eo impellit, ut
satis ex ista sollicitudine liberari, & ex
rerum humanarum angustijs educi gesti-
at. Quoties iam Spiritu pragnans Eca-
clesia liberos alio contentos generare
Christo per Evangelium conata est?
quoties conatibus contra dicentium mult-
itudo obstrepuit, & plangore ac lamen-
tatione eius terrarum orbem comple-
vit? Quoties emittentis animum &
ossa vires de fecerunt? corpus sudor, fan-
ciem lacryma resperserunt? Cum nula
la unquam hora mortis periculo ipsi
vacua fuit; tum in hanc mundi vespe-
ram pariter potissimum erupit maturi-
tas: quae patre nostra fines, & Germa-
niae vrbes, oppida, pagos, ut prole, ita &
sino

Singulū fecundam atq; uberem reddi-
dit. Quod si qui voluptatum lenocinis
dediti, se sine ullis calamitatum flu-
tibus in hoc mundi pelago cum Ecclesia
facere vela posse rentur, vehementer er-
rant. Neq; enim Christianus esse po-
teat is qui non Christum fide concepe-
rit; nec verbum concepisse estimandus
est, qui non verbi fructus per caritas-
tem profuderit, quod absq; cruciatibus
fieri posse negat Apostolus.

Sed nescio quomodo me in his commo-
vantem prodiens illud monstrum verè
horrendum, ingens, ita perturbat, ut
dictura oculi, vultus, verba cadant. Quom-
ta enim mole incedit bellua? quam
est colore terribilis? quam capitum mul-
titudine horrida? quam detestanda cor-
nibus? Hic nimirum est serpens ille, qui
ab eo cum primū à Deo d. fecit, nullum
sevitæ & crudelitatis genus pratermis-
sit: qui totus ex mendacis & fraude com-
positus, nihil nisi mendacia, nisi fraudes
amat: qui Deo agrè facere studet, homines
perimit, omnis generis miseras in orbem
emittit

producit: qui omnium malorum auctor
& parens, si res humanas sibi in unius
momenti spacium subiectas haberet, mi-
rum ni universum hunc mundum ex imis
erutum sedibus conturbaret, excideret,
funestaret: quem ita odisse debemus, ut
ipsius exitium nostrum putemus trium-
phum: de quo neminem cogitare decet,
quin ingemiscat, neminem facere menti-
onem quin exsecretur. Ille arden-
tibus oculis, crudeli vultu, & hianti ore
Femina[m] aggreditur. Pandite nunc
Heliconæ Dea, cantusq[ue] movete. Non
enim de semihomine Caco aut Cerbero,
Poetarum commentis, sermo nobis est,
quorum ille quondam patris Vulcanus
atros

Ore vomens ignes magna
se mole ferebat;
Hic inferni ingens latratu regna
trifauci
personat, adverso recubans
immanis in antro:
Sed de portento illo ac funere humani ge-
neris Behemoth: de cuius ore lampades
proce-

procedunt sicut tade ignis accensa: de cuius
naribus procedit fumus, sicut olla fer-
ventis: cui Ecclesia tanquam agnus lupo
obicitur, ut infallaci mundo coram malo
Demone doloris panem comedat. Per-
pendite quaso mecum tacitam monstri
figuram: nihil esse tam sanctum atq; so-
lenne intelligetis, ad quod comminuen-
dum vires ipsi desint, ad violandum
animus. Etenim si magnitudine robur,
sanguine crudelitas, capitibus coronatis
potestas, cornibus multis nocendi varia-
tas designatur: necesse est eum, qui ma-
gnus, ruffus, cornuum capitumq; multorum
est, robustissimum, crudelissimum, potens-
simum vas ferrimumq; omnes fateamur.

Quid enim illo robustius, cui tanquam
capui tot impiorum membra adhaeres-
cunt? Quid eo crudelius, qui homicida
ab initio tantam innocentium multitudi-
nem ad cadem & cruorem vocavit, ac
devoratorum totus madet sanguine?
Quid verò potentius illo, qui se omnium
omnino nationum, urbium, populorum, atq;
adeò totius mundi profitetur principem?
quem colunt gentes multitudine innumera-

D rables

rabiles, locis infinita, copijs amplissima,
quem tot reges, tetrarchae, tyranni suppli-
ces venerantur & adorant. Non equi-
dem sine mœrore & luctu ingenti ad fu-
nestum illum generis humano diem, quo
diuinam imaginem parentum lapsu ami-
simus, cogitationes dirigo: sed repetenda
tamen est ista calamitas, in quam primum
horrendi Draconis caput Euam Enaq, po-
steros miserrimè precipitauit. Nam sibi
quam fidem eruditorum hominum merce-
tur industria, qui septem capitum furo-
rem septem temporum intervallis inter-
puxerunt: in hoc sanè omnium scelerum
princeps & originem conuenit, quicquid
dici in dirum, truculentum, nefarium po-
test. Hoc enim Caini horrendas manus,
fraterna caede contaminant: Busirydem,
Aegypti regem in Iacobi posteros nece,
ergastalis, verberibus, seueritate durissima
armauit: in deserto Israelitas ad confla-
tum ex auro vitulum allexit: contra eos-
dem Midianitas excitauit, qui aut lenocia-
nijs à Deo auerterent, aut armis vastat-
rent. Dauidem deniq, obiurgatum à
fratribus, fugatum à genero, despe-
ctum

Etum ab uxore, proditum à consilia-
rio, pulsus à filio, in adulterij ac cædis
crimen coniecit. Hanc primi capitis ra-
biem alterius excepit furor, cuius instin-
ctu adificatae sunt aë & statua posita
luci etiam & sacra Idolis nemora incol,
libus singulis frequentata: tuq; Prophe-
tarum maxime, qui cælum precibus clau-
sisti, precibus aperuisti, & modo ignem
modo aquam inde evocasti, sub huius im-
perio, Iezabelis importunitatem & ira-
cundiam vix viuis effugisti, & altari-
um ruina, vatunq; miserabili fato inge-
muisti. Regis Syria militibus iam ob-
sidendus erat Elifas, ut intra Israelita-
rum mœnia cæci deducerentur: sed in-
serviendum est tempori, & quæ restant
Draconis capita detegenda, ut celerio-
ri cursu ad reliquam orationis viam ac-
cingamur. Tertium igitur caput totam
Iudeam, Ecclesie tum temporis domicilis
um continuis Assyriorum bellis vastavit
vexavit vrbes, tecta incendit, fana diri-
puit. Nec multum ab huius atrocitate
Persarum Medorumq; sub quarto capite
duce imperium ab fuit. Nisi enim san-

D ij guinaris

Quinarium illud decretum ab Haman
sceleratissimo divulgatum, Esther a pres-
cibus remotum, & gens proscripta iam
ac damnata è mortis faucibus esset ere-
pta: nihil supererat, nisi ut tota gens,
omnis religio, uniuersum nomen Iudaeum
funditus extirparetur. At verò tantum
valuit regina apud Deum animi integri-
tate, apud regē corporis excellentia, ut ab
Ecclesia parricidium auersum in Ecclesie
hostes converteretur, & regio quae antea
metu trepidabat, fletu personabat, eiulatu
perstrepebat, mox cantibus resonaret, gau-
dio exultaret, latitia & hilaritate percree-
paret. Non enim semper Draco de Fœmia-
na: nonnunquam & Fœmina de Dracone
plausus excitauit. Cuius rei dū non vul-
gare exemplum in quinti capitis scena rea-
fero, quæso ne humanitas uestra me de-
stituatur. Tempore igitur Onie Pontificis,
cuius summa erat probitas, summaq; in-
tuendis legibus observatio, ades sacra li-
beralitate regum quorundam, magnis opib;
bus augebatur. Erat tum prefectus tem-
pli Simon Beniamita, is in summum pona-
tificem odio uehementissimo erat in-
flammas

flammatus: cui nocendo cum solus non
sufficeret, ad Apollonium proficiscebatur
Syriae inferioris & Phœnicie præfectum:
narrabatq; tantas esse templi Hierosoly-
mitani divitias, tantos redditus, ut ad sa-
crificia facienda non omnia requirerentur:
quin eo profusiebat audacia atq; de-
mentia, ut diceret salvis templi divitijs
regem Seleucum eam pecuniam quam
donasset posse repetere. Apollonius ubi
ad regem venit, qua de pecunia erat
edoctus regi narrat. Rex Heliodorum
cubicularium mittit, eiq; ut pecuniam
auferat mandat. Heliodorus Hiero-
solymam cum venisset, regium mandatum
urgens, in templum ad videndum the-
saurum cum sociis properabat.

Tum demum ingens calamitas tota
urbe exoriebatur, metuebant cives, affli-
ctabantur sacerdotes, qui suo ornato ve-
stibusq; sacerdotalibus induti ad aram
se prosternebant, Deumq; deprecabantur
ut ipse tantam tamq; insignem iniuriam
amoliretur. Quantum autem Pontificis
luctum mœroremq; fuisse æstimandum
est? Hic nimirum ita sese macerabat, ita

squalebat, ut nemo ipsum sine lacrymis
adspicere sustineret; quippe cuius vultus
mutatio immensi timoris esset indicium.
Præterea ciues undiq; concurrebant, precio-
bus, ut templi augustissimi ac toto terra-
rum orbe clarissimi fame consuleret, Nu-
men strenuè sollicitabant. Neq; non
Fœmina cum lamentis, cum eulatibus,
cum fletibus lugubribus tota urbe discurs-
rebant: Virgines, quæ antea parietibus &
reclis sese continere consueuerant, ad por-
tas ciuitatis cursu contendebant: quidam
è fenestris prospiciebant, sublatisq; ad cœ-
lum manibus Deum inclamabant. Quid
multa? nihil hîc nisi gemitus, nisi lacry-
ma, nisi clamores, nisi vociferationes, nisi
lamentationes. Erat adspèctus miserris-
mus ciuium metus, fœminarum eulatus,
virginum fletus, Sacerdotis trepidantis
squalor. Interea dum hæc fiunt, Heliodo-
rus ad conatum perficiendum oportunum
tempus sibi dari putabat, cumq; ad sacra-
rium armatus cum militibus consisteret,
ipse cum reliquis singulari miraculo cœli-
tus ita territus est, ut penè timore corru-
eret.

eret. Videbant enim equum strato prea
ciosissimo exornatum, cui eques insidebat
ad spectu horribilis atq; aurea lorica con-
spicuis, sed equus recta ad Heliodorum con-
tendebat, eumq; pedibus prioribus pete-
bat. Quinetiam duo iuvenes appare-
bant corpore robusti, forma amabiles,
vestibus elegantes; qui Heliodorum
ita verberibus mactabant, ut obcatus
& semimortuus in terram procideret: &
qui paullo ante magna pompa, innumeris
satellitibus cinctus, clamorosus, horrendus in
sacrarium ingressus erat, tum in sella ia-
cens, mutus, exanimis deportaretur. O fat-
tum bene, I nunc Heliodore, & nunc direpa-
tum e fano Hierosolymitano pecuniam. Sed
reuoco me, & omiffa huius temporis
tyrannide incredibili, ad eam mundi etate
tem venio, qua sexti capitis in ipsum caeli
Dominum machinas conspexit. Quid
verò agam? Nunquid uxorem ad flu-
tiam esse dicam, cum maritus ipse in cruce
aclus sit? an à Diocletiano unius
mensis spacio decies septies milles homi-
nes obruncatos commemorabo: cū Herodis

crudelitas una luce tot in tantum anima-
las pari agone è corporum custodia eiece-
rit? & falx aulica infinitos martyrum
flores eodem ictu demessuerit. Maiores
ea tempestate occisorum sanguine fluxe-
runt rivi, quam ut oratiuncula angustia
eos possit capere. Itaq; hæc nunc omittam:
& quoniam ultimum serpentis caput è veo-
nenato Pontificis Romani ore virus suum
pleno gutture evomuit: non dicam quo-
modo ante hunc diem nulla Respublica
tam firma fuerit tamq; potens, quam non
labefactarit atq; convulserit: nulla ædes
aut familia tam casta, quas non infandis
libidinibus compleverit: nulla conscien-
tia tam erecta, quibus non laqueos induce-
rit tristissimos: nulla deniq; vita pars
aut hominum ordo, quem non ceu furia
quædam concitarit, conturbarit, dissipave-
rit, everterit: Illud tantum dicam, nul-
lius unquam Ecclesia fortunam duriorum
fuisse, quam eam, quæ hanc in se belluam
insultantem videt ac patitur. Ac ne cauda
quidem vim illam pesti feram silen-
tio prætereire convenit: quæ non contem-
ta vilibus ac plebejis emergere è vulgi
tenebris,

tenebris, & in ipsa caeli luce, hoc est, inter
eos, qui doctrina, sapientia, maiestate plu-
rimum pollent, & velut sidera pra alyis
eminent, se exerere vnicé querit. Hos
confidenti astutia eo impellit, ut volupta-
tum illecebris dediti, mundi fucos summo
illi bono anteponant, divini numinis pare-
vi faciant imperium, obscenitatem a-
ment, actionum turpitudinem probent,
exemplorum fœditatem sectentur, innu-
meris flagitiis conscientiam polluant, pro
veris falsa cupiant, pro certis incerta de-
siderent, pro aeternis caduca adpetant,
pro sinceris venenata arripiant, pro inte-
gritate scelera ament. A tanto igitur tu
paratus exercitu aciem instruit, ac par-
rientem Faminam obsidione cingit, atq;
in eo totus est, ut aut abortum concitet,
atq; immaturam Ecclesiae prolem à fide
prohibeat: aut in ipso nixu fatum devor-
ret, ac recens natos, & in fide nondum
confirmatos frangat. Non socordia hic
& oscitantia locus est: curam & vigilias
res ipsa flagitat: cum non tam corporum
quam animarum neci hæc hydria parata
sit. Quam enim blandicijs sibi adiungere

Sponsam nequit, insidijs inuadit: & quoniam victoriae spem in solis ac stellarum obscuracione sitam nouit; ijs atras saepe numero obducit nubes; ut diuina voluntas altissimis velut impedita montibus nusquam appareat. Tunc verò inferorum reserantur portae, ad quas legis maledictio omnes sine discrimine detrudit, tunc ira diuina flamma, Spiritus pessimi afflatu, magis magisque inflammatae precordia tangunt, & ex toto corpore sudorem excutiunt ut non immeritò apud Salomonem mulier haec fuscam se aestuq; docoloratam conqueratur: & Davidis anima consolationem respuat: Iobus de suspendio cogitet. Deficeret omnino Ecclesia nisi caelestis aura & mollissimus Fauonius, flabellis suis leuiter ventilatis, placidissimo murmure ipsam reficeret, ac marcescentis floris instar collapsam recrearet. Simulatq; verò ita afflatur, & animus ipsi redditur, ea suscipit quae fortissimum quemq; maximè decent: nec labor ante quiescit, quam lumina mortis acerbitas, atq; extremus vita dies condat. Ignem ignis restinguit, neq; ad consolationis

tionis facem fax cruciatuum admittitur.
Oblita propria incolumitatis, oblita pa-
tria, parentum, liberorum, arma spiritus
induit, manus ferro, caput galea, aere
corpus resplendet; dum sub imperatore
Deo, sub vexillis Christi, sub cæli stipen-
dijs militat aduersus mundum & mundi
dominum. Nugatur mendaciorum fol-
lis Vincentius, Dunstanum Episcopum,
bacillo, aqua lustrali consecrato serpentem
hunc fugasse & repulisse: verum igno-
rat miser, solum Dei verbum esse clypeum
istum, quo tanti hostis ictus excipiantur,
& gladium quo pracidantur capita. Hoc
labentem erigit, vacillantem confirmat,
ad cælum tendenti, fidei alas exhibet.
Exedit illam peccatum? conscientia stimu-
lat? mors arcum intendit? infernus hi-
anti gurgite eam expectat? à iudicio
ad misericordiam, à iusticia ad gratiam,
ab aequitate ad clementiam provocat.
Quid cogitas, inquit ille, misera? Patere
tua delicta non sentis? in exilio tibi vi-
uendum esse non vides? Novi ero-
rata mea, novi exilium: sed DEVM etio-
am esse propitium & clausis hinc foribus
altissi.

plurimum illud beatorum domiciliū mi-
hi patere novi. Quam verò hereditate
tem tui adibunt liberi? Omni copiarum
genere caelestis ille pater abundat: qui cum
pascua corvis, vestimenta agris impertiat,
meos egentes vagari liberos non sinet.
At vitam amittes. Si contentionum me-
arum is erit finis, ut mors subeunda sit;
feram constanti animo quaecumque ferenda
sunt: dummodo fluxa hac calamitate per-
petua incolumitas pariatur. Ita quod
mundo dulce videtur, huic amarescit;
quod illi amarum, huic dulcescit: quod hor-
rendum illi, huic blandum: quod splendi-
dum, sordidum: quod potens, infirmum:
quod formosum deforme: quod opulens
tuum, egenum: quod sublime, humile: quod
lucrum damnatum: quod vita, mors: quod
interitus, ad sempiternā salutem aditus.

Fremat Draco licet; nullis unquam
blanditijs in huius Mulieris se consuetu-
dinem immerget, aut minis illam eo per-
ducat, ut pudicitiam prostituat, animique
thorum violet. Quemadmodum enim
adamas neque igne liquefcit, nec ferro mi-
quitur, sed ferrum citius & incus dissili-
unt,

tant, quam ille frangatur aut cedat: ita
hac aduersus omnem diaboli serientis im-
petum inuicta est, ac fide ipsum rejicit,
verbo conficit. Nam ut maximè illi ad
tantas hostium incursiones sustinendas vi-
res desint; vis tamen non deest: ad
quem ubi gemitus suos ablegat, ac de ini-
micorum multitudine conqueritur, opem
auxiliumq; scitit presentissimum. Fortis
enim ille est, & fortes habet ministros, qui
letitiam tristitia permisceri vetant, spem
metu vinci non sinunt, qui dormientem
custodiunt, vigilantem regunt. Vita ipsius
ab incendiis flammisq; est servata?
seruarunt Angeli. Vnderum flucti-
bus est erepta: cripuerunt Angeli: latro-
num tela à cervicibus eius declinata sunt:
declinarunt Angeli. Ad quid igitur
monstruosissima bestia custodia, excubia,
& conservatio tam diligens? Peperit
iam Femina, & peperit masculum; qui
laterum oppositu Draconi faceffet nego-
tium, & virga ferrea, seu verbo non fle-
xibili ipsum conteret. Vultis intelligi
Prophetas, Apostolos, Doctores & Senten-
tia vestra subscribit Ioannes, qui omnes
Spiritus

Spiritu actos nominat masculos. An mas-
cultis Christum? Hunc in Galatis suis
formari dicit Apostolus. Hunc gloria
regem pijs habent amabilem, impijs formis
dabilem: & qui nunc gratiam eius aspera-
nantur, aliquando seueritatem agnoscent.
Si quis enim verbi contemptores à pena
semper immunes fore auguratur: ne is
Dei inuictissimi auctoritatem, quo per uni-
uersam terram plurimum pollet, omnino
ignorare, eiusdem grauissimam iram
atq; indignationem in tanta maiestatis
irrisores parui facere, suppliciorum acera-
bitatem in eos constitutam pro nihilo du-
cere videtur. Erit, erit illud profecto
tempus, & breui quemadmodum confido,
elucescet ille dies, quo aduersantium vis in-
hibebitur, animus frangetur, facta punien-
tur. Quid? quod ingens hoc mundi thea-
trum in horas singulas minitari ruinam
videtur? Deficiunt elementa, & ad finem
suum properant: Sol & luna quasi confe-
cti iam & languidi, se ad spectui nostro
subtrahunt: strepitus fluctuum, ventorum
fremitus, vicissitudines rerum & ordi-
nes, omniaq; tanti corporis membra mor-
tem

tem ipsi portendunt. Quod si haec moles
improviso ac repentino labe factata mo-
turuerit: quid restat nisi ut in publico
isto capitis iudicio intentalite, sententia
feratur ab eo, qui nec patronos audiet ullos,
neq; caueri quicquam patietur, aut excipi:
sed innocentem premijs afficiet, reum pœ-
nis. Rideat hoc, ut omnia, Lucianus, & è
splendidissimis viris sutores aut Zonarios
faciat, atq; è ditissimis egentissimos, è pra-
stantissimis spretissimos euasuros dictitet:
non ridebunt certè, qui eiusmodi tormen-
tis subjicietur, quibus nec granditas mo-
dum, nec allatura est vlla finem etas. Nisi
hora iam fermè effluxisset, plurimos eti-
am in hac vita crudelitatis suae penas
dedisse monstrarem. Caino immensus
terrarum orbis ad fugam angustus foret:
Pharaonem equoris procella obrueret:
Iezabelem equorum unguulis conculcatam
canes dilaniarent: Hamanus laqueo,
Diocletianus cultello vitam finiret: Verùm
non abutar vestra in me audiendo be-
nignitate. Cum praesertim ex Poeta eti-
am notum sit, Tyrannos admodum paucos
siccis

sicca morte ad Cereris fratrem descen-
dere solitos. Et quia antiquus Draco inis-
quissimo in festissimoq; animo infantē in-
tuetur: restat, ut ex humano matris pras-
sidio non satis firmo creptum, & in thro-
num aeterni Patris evectum prosequamur.
Non enim, si mulierem filii quem proge-
nit misericordia minus teneat; Domi-
nus piorum obliviscitur: quorum nomina,
tantum abest ut oblivione deleantur, ut
ante iacta orbis fundamenta in caelis scri-
pta sint. Nec verò est, quod matris vidu-
itatem deploremus: qua spretis mundi
delitiis, in solitudine tecta à Satanae frau-
dibus delitescit, donec persecutionis anni
transierint. Quare, sit dementis in tran-
quillo tempore statem adversam optare, qua-
vis ratione tempestati subvenire sapien-
tis: at periculum subter fugere, si quid
est pro divini nominis gloria suscipien-
dum, omnino timidi animi est & abiecti,
neq; timidi tantum, verum etiam impij
& planè scelerati. Nam si alterutri par-
ti adhaerendum est: utrum illos audiemus,
quibus tantum huius lucis usura nos pria-
vandi, neq; tamen, id sine acerrima poena.

rum

ram comminatione potestas est concessa: an
verò eius obtemperandum imperio, cuius tan-
ta est potentia, ut animam simul cum corpore
in aeternum exitium precipitare, aeternoq; ig-
ne possit comburere? Pleni sunt libri sacri &
pro fani, plena est omnis exemplorū vetustas
ijs, qui vehementissimo cursu per brevissimū
momentanea huius vitae stadium ad felicitatis
aeterna premia contenderunt: verum in-
star omnium nobis erit illud faminei sexus lus-
men & decus, quod rectè Eusebij historia im-
mortalitati consecravit. Regnante enim Va-
lentiniani primi fratre Valente, quem Arria-
norum satellitem, Christianorum vastitatem
iure nominamus, cum omnia templa in urbe
Edessa vera doctrina cultoribus essent clausa,
excepto uno, quod extra urbem relictum, quo-
tidie à magno Christianorum numero frequen-
tabatur: Imperator praefecto suo homini Eth-
nico, sed viro non malo, illud serio demanda-
bat, ut mortem inferret omnibus ijs, qui ad
sincerae religionis cultum eò sese conferrent.
Praefectus vel commiseratione hominū motus
vel conscientia convictus de nocte moneri ju-
ravit Christianos, ne postridie ad eadem illam
accederent, cui iam imperatoris faces immine-
rent.

E

rent.

vent. Verum omnes profundero sanguinem,
quam religionem amittere malebant. Itaq;
summo diluculo agmine tam denso ad dictum
locum confluebant, ut vel ipsum templum hor-
ror inuaderet. Inter ceteros mulier quadam
tanta festinatione ad interitum voluntarium
ruebat, ut nulla ratione habita vel adium, vel
cultus corporis, apertis foribus ac nudato capite,
unicum filiolum manu secum abduceret.
Quam conspicatus praefectus, quo tendis, quaerit
mulier? Ad fratres meos ac sorores illa
respondet. An ignoras, ille ait, omnium eorum
iugulis impendere gladium qui illic reperiuntur?
Noni, inquit, & hac de causa ita propero,
ut una cum illis emoriar. Quid vero hic tuus
filius? cuius matris animum non labefactet
filiij nomen, ut maximè de sua incolumitate pa-
rum sit sollicita? Ipsa vero, neglecta omni ad-
mata posteritatis spe, praeter rogantis opinio-
nem, martyr erit, respondet. O pectus verè
masculum. Videbat se gloria spem non esse,
nisi in spe victoriae, nec victoriam nisi in pugna:
in qua tanquam spiritualis sacerdos ad
obtinendam arcem aetheream summis viribus
adspirabat. Ite nunc fortes ubi celsa magni-
ducit exempli via: cur inertes terga nudatis?
superata

superata tellus sidera donat. Nulla est in re
bus humanis tanta felicitas, quae non interdum
aliquid amari sentiat, & cum conditione sua
rixetur. Quid enim Demosthenes ille, quo ipsas
Athenas magis fuisse Atticas negat Romanae
eloquentiae princeps Cicero, quanta auctoritate
vir fuit? quanta prudentia? Et hic tamen,
posteaquam magistratu abierat, si transversas
sibi vias obiectas cernebat, quarum altera ad
fasces iretur, ad mortem altera, se misso im-
perij itinere, ad fatum extremum recta perre-
cturum adfirmavit. Alij igitur eo contenti
dunt, unde à labore itur ad supplicium: & nos
laborem istum re formidabimus, qui perducit
ad premium? Classicum nunc canit Ioannes,
& Michaellem Archangelum in praelium cum
Dracone committendum educit: nos autem
hac vice canemus receptui, Deumq; Opt. Max.
ut sponsa sua in Academia & urbe hac patro-
num agat, ac freudentem Draconem à suis
aribus: à tectis nostris ac mœnibus arceat, con-
iunctis cum tota Ecclesia votis supplices pre-
cabimur.

ORATIO TERTIA.

Isracelitas accepimus, cum à
superbo Aegypto um rege Pharaone variis
arumnis pressi, assiduis fracti laboribus, tan-
dem faente Numine à ceruicibus seruale ju-
gum deiecissent, & iam mare rubrum trans-
gressi per loca deserta terram sibi promissam
quararent, nubem habuisse comitem, eaq; sub-
sistente resedisse, exurgente castra mouisse.
Dura illa quidem fuit quam seruerunt ser-
uitus, durum in quo fuerunt ergastulum: at si
illam respiciamus calamitatum lernam, in
quam nos omnes Satana inuidia & calliditas
precipitarat, collationi locus omnino nullus re-
linquitur. Neq; enim in pccis aut bitaminis
fossas immissi, sed in lethi fauces & Orci te-
nebras eramus detrusi: nec quicquam supere-
rat, nisi ut & viui omnis generis molestias
corpore exantlato, atq; animo perferremus, &
mortui aternis cruciatibus manciparemur.
Hanc autem simulacri sui tantam, tamq; infes-
tam exagitationem diuina maiestas ferre
non potuit, sed ad tyrannidem istam coer-
cendam

cedam oculos aperuit: ac ipse Dei filius carne nostra velut nube indutus, nos carnificis nexu liberos e Ditis antro per sanguinis sui flumen eduxit, atq; in pristinam libertatem vindicavit. Et quidem totius Judaeae metropolitin Hierosolymam potissimum elegit, in qua ad tempus commoraretur & populum ad terrarum orbem peragrandum colligeret: donec tandem relicto isto tabernaculo, ad aggrediendum iter, spirituales exercitus provocavit. Preces nostras haecenus Ecclesiae votis adiunximus, & ascendentem Christum cantibus & hymnis prosequuti sumus: restat ut, qua par est veneratione, missum e domo stellifera periculosissimi itineris ducem & comitem excipiamus. Etenim non unius tantum turmae hoc iter est, aut unius seculi in quod Apostolorum agmen incidit: sed omnes nos qui in sacro baptisate caelorum regi nomina dedimus, viam hanc desertam, incultam, & errorum frondibus ac virgultis interclusam conficere cogimur, sedem quidem stabilem ac domicilium certum hic non habemus. Iam viperini mali tabes quam nos inquinavit, quam animi oculos in fecerit, quis non videt? In tenebris & umbra mortis degimus, nec invenire in hac men-

ris nostra caligine salutis viam, nec insistere
ei sine prolapsione possumus, nisi Spiritus san-
ctus illam nobis praeat, ac ne errore capiamur
prospiciat. Quotus enim quisq; rationis lucens
sequutus à vero tramite non aberravit? Fuit,
fuit quondam illud tempus quo ad recta agno-
scenda hominibus sapientia, & ad sequenda
vires suppeditarent: jam infuse per pecca-
tum tenebrae ita mentis lumen obfuscavunt,
ut eodem modo Dei veritatem contueamur,
quo noctua diei lucem. Spiritus est qui natura-
lem illam caliginem discutit, & lucem no-
vam accendit: ut qui prius labendo defe-
ceramus, mox rectè incedendo firmiter Chri-
sti vestigijs inhaeramus. Hic primus nos
ut canes impellit, impulsos promouet &
promotos fouet; dum ad promissam regni
hereditatem per saxa per ignes deferamur.
Quando igitur hanc ductori nostro ex pia anti-
quitatis constitutione hac anni pars consecra-
ta est, ut immensa ipsius in humanum genus
beneficia per totum terrarum orbem pradi-
centur, celebrentur, decantentur: non est quod
nos, qui eo animo in Musarum officinam in-
gressi sumus, ut diuini nominis gloria ampli-
ficanda idonei euadamus, in tanto omnium
plausu

plausu faciamus silentium: qui sine huius nu-
mine omnem, quod aiunt, operam & oleum
perdimus, ac frustra laboribus de fatigamur.
Enimvero si subselliorum forig, meditatio in
ijs probatur, qui ius civile ac leges tractant:
& medicum sanitatis morborumq, decet ex-
planatio: ne in nobis quidem improbabitur,
si conuenientem studijs nostris materiam sub
exercitationis incudem reuocauerimus. Pro-
inde à vobis viri clarissimi, studiosi ornatissimi,
ut pietatis hoc munus obeunti mihi non in-
uitas aures largiamini precibus contendo:
idq, pluribus verbis agerem, nisi de bona ves-
tra gratia, quam aliquoties singularem ex-
pertus sum, semper predicabo, nunc demum
viderer subdubitare. Antequam autem
ducis nostri officia, vel potius beneficia, ora-
tione perstringam, notanda venit vocabuli
Spiritus significatio, quæ longius sese extendit.
& in pluribus de notandis exprimendisq, ver-
satur. Etenim ne nunc è vate regio Angelos
factos esse spiritus; & hominis spiritum ab ipso
exiturum dicam: ne cum Ecclesiaste de in-
mentorum spiritu num deorsum descendat de-
cernam: ne deniq, è Psalmo 10. ventos procel-
larum spiritus appellem, aut è 118. ore aperto

*Spiritum attraham: in ipso Deo varietas vo-
cis huius deprehenditur. Nam ubi Christus
in Ioanne Deum nominat Spiritum, non uni-
cam tantum personam intelligit, sed uniuersam
Trinitatem: cui eatenus hac appellatio
conuenit quatenus natura subtilitatem indi-
cat, qua à reliquis omnibus rebus discernitur.
His igitur omisissis, de Spiritu illo nobis in prae-
sentia sermo est, qui Deus verus de vero Deo
procedit: qui explet omnia, ipse incompre-
hensus; metitur omnia, ipse immensus; im-
pertit alijs omnia, ipse aliunde nihil unquam
percipiens. Pingat Deum Anaximenes &
aërem dicitur: Pythagoras ipsum ut animam
commoentem in naturam uniuersam trans-
fundat: Xenophon & Plato philosophorum
tympana soli similem faciant: Epicurus de-
niq; à Democriti pixide constatas atomos are-
ne instar connectat, Deumq; constituat: nos
tantæ maiestatis fontem scrutari desinemus
ne opprimamur ab eius gloria. Illud tantum
non ex ratione haustum, sed per diuina oracula
patefactum agnoscimus, credimus, profitemur,
Spiratum sanctum esse tertiam diuinitatis
personam; eiusdem cum reliquis essentiae,
eiusdem aternitatis, eiusdem maiestatis ac
potentiae.*

potentie: qui non à Patre tantum sed à Filio
etiam tanquam principio procedat. Quam
quam enim stolidi feriatorem hominum curio-
sitas opinionum pravitate hoc dilacerare atq;
evertere conata est: tamen, ut semper vanita-
tis nebula ad veritatis solem liquefacta fluxe-
runt: Ita & hic error iam pridem à rectè sen-
tientibus eiectus, exhibitus atq; explosus est.
Eo quidem certè Macedonij pontificis vesana
delapsa est impietas, ut Spiritum sanctum
Deum esse negarit: Donatus Numida Parens
de Filium, Filio Spiritum minorem asseruit, ac
veneno isto Africam totam resperxit. Quin
eò res deducta est ut Spiritus sanctus ^{utriusq;} &
^{utriusq;} Dei, minister & diaconus Filij appella-
retur. Nam hereticorum follem Arrium nunc
prætereo, qui, ut multos alios, ita & hunc fidei
articulum impura ingenij lue polluere studuit.
At vero horum omnium machinæ doctrinam
hanc non modò non percuberunt, sed labe fa-
ctando magis magisq; corroborarunt. Quis
enim est ille tam demens, qui leuissimorum
hominum prestigias pluris aestimet, quàm pro-
fessionem eius, qui in tertium cælum raptus
rerum superarum atq; cælestium spectator
fuit, auditor gloria? Iam qua perspicuitate is

Deum appeller Spiritum, ignotum potest esse
nemini, nisi eidem prior ad Corinthios epistola
nunquam visa fuerit aut cognita. Modò enim
templum Dei ipsos nominat, in quo Spiritus
sanctus habitet: modò spiritum sanctum Deum
in corporibus suis ut glorificent hortatur
modò Spiritum ex Deo adserit: modò Spiritum
unum varia dona distribuere, & Deum
unum omnia in omnibus operari affirmat.
Mittitur ille quidem ut dispensator, agit autem
omnia ut Deus. Neq; enim aliena auctoritate
venit, sed propria: non viribus aliunde
acceptis, sed ab ipsa aeternitate insitis in
caelo consistit & terram implet, totus cum creaturis,
totus cum Deo est. At hic occurrentibus
dumys videtur, qui nos argumentis undiq;
contortis armati praestolantur, & processum
Spiritus à Filio acriter oppugnant: in quibus
technis declinandis si orationis leges aliquantum
excessero, veniam à vobis impetraturum
me confido. Et primùm quidem Filium Dei, si
principium Spiritus sancti sit: illud cum Patre
eadem ratione ipsi commune esse contendunt:
atq; inde effici putant, ut cum per generationem
Pater sit principium: per eandem Spiritus filius
Filii appellandus sit. Sed non vident

vident homines insulsi, Patrem divina perso-
na principium non uno tantum modo esse, sed
per generationem Filij, per spirationem, ut ita
loquar, Spiritus sancti. At Filium ideo esse
Filium instans, quod à Patre procedat & ipsius
sit verbum: quod si Spiritus sanctus procedat
à Filio, & per ipsum tanquam virtutis suae ver-
bum omnia vortet Heb. 1. nihil superesse pu-
tant, nisi ut eiusdem Filius proclametur: cum
tamen Spiritus non ita verbum dicatur, ut sit
quasi conceptio diuini intellectus; sed ut
Filium maioribus quasi theatris proponat &
hominibus reddat manifestum. Quando igitur
hac frustra emissas sunt, aliunde quibus sua
teneantur tela depromunt: & quia personarum
diuinarum nomina ab humanis translata sunt:
in ijsq; qui à Filio procedit nepos est: Spiritum
sanctum Patris nepotem constituunt. Quod for-
tè concedendum ipsis foret, si non eadem sed
diuersa ratione à Patre Filioq; Spiritus proce-
deret: quod in nepotis constitutione fieri ne-
cessitas ipsa flagitat. Ac ne illud quidem
doctrina huius veritati detrahit, quod è Dia-
lecticis contra eam eruitur. Quicquid in di-
uinis est, aut commune est, aut proprium: Mit-
tere autem spiritum non est commune: quia non
conuenit

conuenit Spiritui: Ergo Patris est proprium.
Notum enim est, Proprium aliud esse simpli-
citer & absolutè, aliud respectu alterius. Deum
esse conuenit tribus personis: mittere Spiritum,
Patri & Filio respectu Spiritus: esse ab
alio, Filio & Spiritui respectu Patris. Quaerent
fortasse, quomodo Spiritus sanctus, cum
simplex sit à duobus procedere queat, ut non
effectus causã & simplicior videatur & pri-
or? ad quod iam demum respondere difficile
futurum esset, si non eandem sciremus Patris
& Filij essentiam qua simplicitatem minime
tollit aut impedit. Multa accumulatur alia:
verum nec orationis breuitas ea capit, nec tan-
ti sunt momenti, ut dubitationem cuiquam nos-
trum ad ferre debeant. Quapropter mittes-
mus nunc eos, qui ne ignem quidem calere pu-
tant, nisi eum manu contrectarint, & in suis
innixi somnijs de recta religione deflexerunt:
ueniemus ad ea, quae ad Dei nostri merita per-
vulganda propius accedunt. Vnde autem or-
diar? aut ubi desinam? Idem certè mihi eue-
nit, quod pictori, qui exigua admodum tabella
totam Europam aut Asiam exprimere insti-
tuit. Quemadmodum enim ille non omni-
bus terra regionibus faciem suam penicillo in-
ducit,

ducit, sed extrema tantum lineamenta effin-
git; ita ego in tanta ubertate non nisi summa
beneficiorum genera decerpam necesse est, ut
confecto celerius itinere quiescam. Hebetio-
r est humani oculi acies, quam ut in numinis
diuini maiestatem penetrare queat; qua in
luce habitat abditissima. Itaque saepe numero
eiusmodi speciem assumpsit, quae in sensus homi-
num incurreret. Filius quidem Abrahae appa-
ruit ut Angelus; Israelitis ut columna; Iosuae
ut imperator: Spiritus vero auditus est ab
undecimviris tanquam ventus, visus tan-
quam ignis. Accommodatissime profecto in
hac rerum natura ad tantum Deum representa-
randum species: Sed omnia tamen eius opera
ad hac referre, cuius sit opera? Septi for-
mem munere Ecclesia ipsum ex Hesaie septem
nominibus, & Apocalypseos septem Spiritibus
nuncupat: verum hic numerus operum poti-
us perfectionem denotat, quam munera ipsa
complectitur. Ne tamen extra metas vaga-
ri videatur oratio, ad dictum numerum eam
restringemus. Et quoniam primum nomen,
quo Dei Spiritus dicitur, iam quodammodo
expositum est, ad reliqua properabimus. Et
(quanquam animus meminisse horret, luctuque
refugit)

refugit) renouanda hic est prima generis hu-
mani calamitas, ut calamitatis mitigatio ma-
gis elucescat. Nam cum essemus templum Dei,
subito Diaboli palatium euasimus, foetore ac
sordibus putridissimis contaminati. At vero
adis sua destructionem acerbissime tulit caele-
stis imperator: atque ut eam recuperaret, flam-
mam hanc emisit, qua consumeret sordes fili-
arum Sion, & sanguinem Ierusalem de medio
eius. Nolite si linguas ignitas non contuemis-
ni, nec venti susurationes auribus percipitis, eo-
minus praesentiam Spiritus huius credere.
Quod enim olim aperte palamque effecit, id
nunc occultatius, sed vere tamen peragit.
Fugat spiritus bonus malum, & arcem expia-
tiam una cum Patre & Filio occupat. Et non
immerito beatus praedicit Augustinus eum,
qui hospitio excipere hunc mereatur: cum to-
ta Trinitas mansionem ibi faciat, ubi is consede-
rit. Magna sapientia, intellectus insignis ex
artium cognitione oritur, quas erudita Ethio-
nicorum antiquitas Spiritus sancti bonitate
inuenit & perpoliuit. Grammatica ad caeteras
artes fores aperit: quam docendi dicendi-
que ars subsequitur. Hinc temporum testis, ac nun-
cia veritatis historia omnis exempli docu-
menta

mentia vel imitanda vel euitanda proponit,
Pollent rerum sublimium descriptionibus ma-
themata: Astrorum doctrina ad corpora cœ-
lestia animos euehit, situm Helices, Cynosura
Erichthonij & reliquorum siderum ostendit:
qua sint mundi domus & quid efficiant: quid
è radiis hexagoni, tetragoni, trigoni iudic-
candum sit edocet. Nec verò intelligentie pa-
rum ea disciplina continet, quæ zonas, climata,
parallelos, antecos, periacos demonstrat, aut
terram certis rationibus metitur. Verum ex
his spiritus sapientie & intellectus non deno-
minatur: sed ex ea sapientia, cuius Domini
timor initium est: ad quam hominum sapien-
tia cœnum est & mera stultitia, per quam cre-
dentes facere saluos Deo placuit. Qui sapie-
ntie humane precepta tradunt, & quomodo
verum à falso secernendum sit demonstrant,
non eos sibi discipulos volunt, quibus aut pro-
pter annorum infirmitatem rerum grauitas
minus competit, aut prouecta ac decursa ætas
animi vigorem ademit: sed eos qui ætate pau-
lulum progressi quæ proponuntur capere & ac-
quiescere in ijs possunt. Quemadmodum enim
nimia cœra mollitudo ac durities impressi an-
nuli sigillū respuit: ita nec infantū imbecillitas

nec deliratio senum philosophicis praeceptionibus apta est, sed flos adolescentiae & tradita facilius percipit, & percepta felicius retinet. At verò huic Doctōri idem est, siue cum teneris infantibus negotium sit, siue cum vetulis omnino fatuis. Praeses ille quidem reliquarum artium & verus Apollo est: sed multum in iis etiam praeceptiones possunt, plus exercitationes, natura plurimum. In huius autem sapientia atq; intelligentia societatem sese non offert praeceptionum multitudo, cedit natura, cedit usus, carnq; Spiritus propriam esse fateatur. An tu si Spiritus te deserat Dei naturam & voluntatem adsequaturum te arbitraris? an tu quod Spiritus negat, vel laboris patientia, vel vigiliarum multitudine, vel lucubrationum difficultate, vel tractationis diligentia te adepturum speras? Heraclidem Ponticum ferunt hominem non ita ingeniosum, sed valde studiosum carmen $\alpha\gamma\epsilon\iota\ \pi\omicron\upsilon\tau\omicron\varsigma$ scripsisse, scriptumq; Ptolemaeo obtulisse: qui cum accepisset, statim in titulo litteram α expunxit, ut ex $\pi\omicron\upsilon\tau\omicron\varsigma$ fieret $\iota\omicron\upsilon\varsigma$. Declaravit nimirum vir sapiens atq; alta mente praeditus, asinum esse qui invita Minerva seu repugnante natura aliquid suscipiat. Quanto magis, si non asini, at stulti nomine

nomine digni sunt, qui absq; hoc lumine in aethere
sedis contemplationem adscendere non
sunt veriti? cum praesertim sine eo clausi sine
oculi, & visio omnium sicut verba libri signati,
qui nec aperiri, nec legi, nec intelligi vlllo mo-
do possit. Hic est currus quem ad flumen Cho-
bar Ezechiel conspexit plenum oculis, in quo
per omnes mundi oras, confecto formidolosif-
simo bello, dux noster circumuehitur atq; tri-
umphat. Hunc unum nobis monstrat: in huius
cognitione veram hominis custodem & procu-
ratricem sapientiam positam esse conuincit.
Sine Spiritu IESVM nemo potest dicere
Dominum: nec imber caelestis intelligentia in
eos effluet, qui non agitante hoc vento Hiero-
solytam ad adorandum regem exercituum
adscenderint. Hic Doctor disciplina sua au-
ditores tanquam core acuit: ex piscatore The-
ologum: ex publicano Euangelistam, ex perse-
cutore Apostolum: ex rudibus deniq; doctissi-
mos; ex imperitis peritissimos, ex bardis elo-
quentissimos reddidit. Huius primitias in
hac vita possidemus: decimas tum nancisce-
mur, ubi Deus erit omnia in omnibus. Sed
ad quartum nomen ut veniamus tempus ad-
moneat: quo Spiritus consilij a Propheta desig-
natur.

F

natur.

natur. Neminem scilicet in eo sortis campo
currere, qui rebus aduersis nunquam pateat
quis est qui ignoret? Neq; enim cuiquam, aut
certè perpauis, ita res omnes ad voluntatem
fluunt, ut non in summa vite dulcitudine in-
terdū acerbitatis plus admistū sentiat. Mira-
tamus alios: nostri ordinis homines contuea-
mur: & eos potissimum quos fortuna opibus
suis parcius beavit: natura autem adeo tristes
finxit, ut non facile sibi eripere, si quid agris
rudinis animo insideat, & obnixè licet ma-
nibus pedibusq; id operam dent, à maestitia se
ad hilaritatem traducere queant. Quoties
mens tristem cogitationum quasi nubibus in-
uoluta, nihil nisi tristitia admittit? & carnis fi-
cina hac animi omnem discendi cupiditatem
obruit? quoties autem spiritus sancti monitis
studiosi in optimarum artium itinere vel inui-
ti retinentur? ac tanquam à magnete occul-
ta quadam & incognita vi ad literarum stu-
dia attrahuntur, diffidentes rebus suis confir-
mantur, adflicti eriguntur, mesti singulari la-
titia perfunduntur? At verò sunt alia maio-
ra. Nam in hac cursus contentione in qua est
Ecclesia, varie deuoranda sunt molestia dolo-
rum mærorumq; plenissimi passus consicien-
di:

di: unde in Salomonis cantico deformatam
se solis aestu conqueritur caelestis sponsi sponsa e-
gregia. Tota enim feruida est exsiliu nostru
solitudo ex arumnarum radijs. Vrit nos saepe
ardens legis maledictio, qua omnes sine disci-
mine in aeterni ignis poenas agit praecipites;
dum, ut cum Iuvenale loquar, divi conscia fa-
cti Mons habet attonitos, & surdo verbera
sedit. Quod si ad flagrantem hunc ignem
in feri hostis ex imis pulmonibus pleno ore ef-
flari anhelitus accedunt, delinquentes caelum
fragore horrifico accusat, tellus hiantigurgis
te expectat: tum demum Dauides Stygiacom-
pede vinculus haeret: Ezechias ossa contritus,
hirundinis instar conqueritur, & tanquam
surtur ingemiscit. Concidendum penitus, ar-
doreq; flamma conflagrandum esset, nisi seda-
to impetu caelestis ille Zephyrus aestum restin-
gueret ac refrigeraret, hominumq; debilita-
tem Deus pacis erigeret atq; sustentaret. Dia-
bolus ex caelo protrusus est, inquit Irenaeus:
ideo quoq; Spiritus sanctus desuper mittitur:
ut ibi habeamus paracletum, ubi habemus ac-
cusatorem. Hic consolante verbo nos eri-
git & divini amoris commemoratione fulcit:

ut infantum more sustentati, & humeris ipsi-
us innixi confidenter pergamus, & marcescentis
floris instar recreati caput ad caelum effera-
mus. Hic cordibus nostris & ossibus virtute
sua vitam reddit; ut tanquam herbae ac flo-
res germinent. Neque enim apud eam tri-
gicus ille auditur sonitus: Maledictus qui non
manet in omnibus quae in lege scripta sunt, ut
ea perficiat: sed blandissima haec: Ne turbe-
tur cor vestrum: gaudete: deuietus est mun-
dus: nihil hic nisi gratia, nisi benedictio, nisi
reconciliati Dei benevolentia. Item capitis,
atque adeo ipsius animae in nos infert Diabolus.
Mors legis sententia nititur peccata firmum
satis & graue testimonium impartit. Hic
patronus causam redarguendo explicat, rati-
ones diluendo labe facit, culpam in alium
transferendo propulsat. Quid multis? ad
iudicis tribunal ipse causam nostram a-
git, gemitibus suis pro nobis fit supplex, & ore
facundo reos protegit. Hoc duce crocodilum
fugaces sequentem, sequentes fugientem sine
trepidatione aggredimur, caute vincimus,
aceriter profugamus. Non est nostrarum
virium panis caelestis desiderio famescere,
aut salutis fontem sitire: diuini consilij est, &
creare

creare esuriam hanc, & depellere. Pueri enim
sumus & meliorum rerum insci: qui pernicio-
sissima saepe numero expetimus tanquam pro-
futura, utilissima auersamur tanquam nociva.
Eum igitur in consilium adhibeamus opora-
ret; cuius auxilium semper nobis paratum es-
se non dubitamus. Nam si Oenones illa lauda-
tur admonitio, qua Paridem suum iubet consu-
lere quæis atas longa magistra fuit: quanto
nos salubrius eum in consilium adhibemus, qui
est omni auro antiquior, omni aetate prior?
Quod si ad fortitudinis nomen animi sensus
deferatur, Deum immortalem, quanta dicen-
di aera nobis obiecta esset si ei luberet insiste-
re. Mittit aeternus rex subditos suos ut agnos
inter lupos: quibus nulla unquam hora mortis
periculo vacua est, atq; insidijs. Inter falsos
enim fratres ceu serpentes & viperas vitam
degunt, & infinitis angustijs obnoxij doloris
panem comedunt: siquidem fallax mundus &
malus daemon esse nunquam desinit. Ne igitur
animo frangantur sed contra audentiores
eant, fortitudinis spiritus nervos ac robur ipsis
suggerit. Neq; enim eadem omnibus fortuna,
idemq; vitæ cursus à Deo decretus est: sed ut
gemma squalidiores alia nitescunt melle coctæ,

aliamaceratasceto: ita nonnulli blandis vero
bis ad frugem se recipiunt, alij obiurgatione
acriori & plagis: ac ne inmodico rerum suc-
cessu elati pereant, quicquid est superfluum
circumciditur atq; amputatur. Nos quidem
certe diuinae hoc clementiae debemus, quod pro
bello rum rumoribus sacrarum literarum de-
nunciations, pro tubarum sonitu praecepto-
rum voces, pro tonitru tormentorum concen-
sum musicum audimus: nec togam marte, li-
bros clypeis, calamos hastis, conuictores commi-
litionibus, musae contubernijs permutamus.
Quid vero alij? an non plurimos hac nostra
aetas conspicit; qui non tantum à dulcissimis
patria fimbriis suauissimoq; parentum, coniu-
gum ac liberorum amplexu abripiuntur, sed
pro diuini nominis gloria gloriosum sangui-
nem tripudiantes profundunt: In his ita ex-
istimandum est: nunquam cum tanta inno-
centia tantum animi excelsi robur coniunctum
fore, nisi ab hoc imperatore ita instruantur,
ut hostilem exercitum, & vibratum in se
acinacem minime pertimescant. Quamuis
enim Euripides, eiusmodi instrumentum mus-
sicum unquam existisse perneget, quo mortis
acerbitas leniatur; tamen ipsa nos hoc expe-
rientis

rientia edocuit concinnam huius fidicinis ar-
tem ita delinire morientium animos ut velu-
ti per fugio curarum ac sollicitudinem somno
consopiantur & obdormiscant. Qui in omni
dicendi genere aliquin eminuit Demosthe-
nes, coram Philippo rege tanto metu ac terro-
re percussus fuisse dicitur, ut dicturo oculi
vultus, verba ceciderint: Legatis autem à
Spiritu sancto informatis nec verba de sunt
nec animus: ne tum quidem cum in summo
capitis periculo oratio habenda est. Spectate
in sacra historia Petrum: imo spectate omnes
Christi discipulos, quam humili, quam pavidò,
quam abiectò deniq; animo fuerint, prius
quam hac vis tanta animi excellentia magni-
tudineq; eos armaret: ut qui antea unius mu-
liercula compellatione terrebatur; quique Iu-
daeorum metu, foribus clausis delitescabant,
paullo post Simsonem & Achillem fortitudine
superarent. Quomodo queso tristes latitia ex-
plentur? & ardimouentur? inuiti trahuntur?
sedati concitantur? Iam scientia contempla-
tionē ubi suscipimus, quid est o vita dux vir-
tutis indagator expulsorq; vitiorum, quod vita
hominum sine te esse possit? quid te ad animos

à mundana illa ignorantia ad caelestem scientiam perducendos potentius? quid nervosius? Tibi tanta vis est ut possis animum ad omne virtutum genus inflammare, à turpitudine ad honestatem retrahere, ab ignoratione ad prudentiam traducere. Tu ex scurra facere potes gravem, ex procace verecundum, ex ignavo assiduum atque diligentem. Tu cum animis te nostris insinuas, normam eis legemque praescribis: tu quemadmodum vis eos moues atque adficias. Te cum audimus, intus alios nos fieri sentimus, & qua se diuina tua vis infert, cum hac una ferimur, atque in omnem partem sensus nostri pertrahimur. Tu simulatque animos nostros penitus attingis, protinus nova quaedam rerum facies oboritur: quod paullo antè durum videbatur, radijs tuis mollescit; quod molle durescit: quod preciosum ante, tum abiectum: quod nullo numero, magnificum, ut repente mutata rerum specie nihil minus esse iudicemus quam id quod esse videbatur. Attendamus diligentius, quid venerioris ingenia sub hoc magistro profecerint: cum oratione res, cum verbis sententias certare, ipsorumque calamos in mente potius quam in atramento tinctos esse agnoscemus.

Reliquum

Reliquum est ut ad illud nomen accedamus
quod non Spiritus sancti beneficijs, sed orationi
meae allaturum est finem. Posteaquam enim
caelestis columba oliua ramum virentibus fo-
lijs in his fluctibus & rerum vastitate ad nos
attulit Dei Filium, pacificatorem hominum
cum Deo, & ignis hic animum morbis & pra-
uis affectibus perpurgavit: tandem ad salua-
toris nos simulacrum transformat, ut obesse
nemini, prodesse omnibus incipiamus, Deusq;
cognatam & similem sibi naturam agnoscat
& diligat. Essentialis enim hac flamma est
aterni amoris inter Patrem & Filium, &
quemcumq; apprehendit ardentissimo Dei a-
more inflammat: quo unum Deum in deli-
cijs habeat, unum colat, unum in oculis ferat ac
desideret. Quod si Deus amore beatissimus
est, Diabolus miserrimus odio: felix esse ne-
mo potest, nisi idem ab hoc naturae instauratore
pietatis affectum imbibat, nec oderit quem
ipse amat. Quomodo enim Patrem Deum
quisquam agnoscet, qui eiusdem filios fratrum
loco habere dedignabitur? qui carnem de caro-
ne sua negliget atq; contemnet? Dispar est
legum humanarum diuinarumq; conditio ac
ratio dissimilima. Ille enim certis hominibus

imperant; haec omnibus: illae pravae actiones
hominum eas tantum, quae sub aspectum ocu-
lorum cadunt, panis coercent; haec ne ipsae qui-
dem cogitationes impunitas abire sinunt, sed
intimos hominum sensus, abstrusas animorum
latebras tacitosque recessus scrutantur: ille se-
mel fixa non semel refiguntur; haec semper
manent immobiles: illarum contemptus non
nunquam sine ultione negligitur, has qui spernit
ne is magno suo malo spernit ac pernicie. Pro-
inde imitentur atque avertantur istam, qua dormien-
tium inuisa quieti, in bustis aut culminibus nocte
sedaens seram canit importuna per um-
bras, & venenata lingua aculeis semper impes-
diant, quo minus inter se amice & concorditer
homines vivant: qui a Spiritu Dei aguntur,
summo studio in id incumbunt quod imperat
maximus imperator, edicit augustissimus dicta-
tor, precipit severissimus praeceptor, & quantum
fieri potest mutuam alunt caritatem atque con-
cordiam. Non mirum si pietas Spiritus sano
Et nominibus quasi ultimam manum impo-
nat: cum vita nostra fietor & moderator in
ipso fati supremi limite eam discipulis suis
vnicuique commendat, atque a Patre conservari ara-
dentibus

dentibus votis exoptet. Vnde & electum
illud vas, Doctor gentium, summo studio ac
fide Ephesos suos cohortatur, ut unitatem
Spiritus in pacis vinculo seruent: quod uni-
cum documentum omnium reliquarum le-
gum vices supplet. Hoc est balsamum è sa-
lutis cornu profluens, quo barba & vestis Aaro-
nis adspargitur: Hic ros qui ab Hermonis
vertice descendens Sionis colles irrigat, sine
quo omnia dura, omnia inculta, omnia
situestria, omnia relinquuntur horrida.

Quaecum ita sint: quid est in quo magis
desudandum nobis patemus, quam ut tanti memo-
neris fiamus participes? Non nummis ille
sed precibus emittitur; usq; non aridis & ieiun-
is, verum incitatis & arduis. Quemadmodum
enim in catu mortalium ubi ad oblectandum
animos musica adhibetur, indecorum est nec
hominum benevolentiam concitat, si cuha-
radus aliud fidibus, aliud ore sonet: ita turpissi-
mum est, & non modò nullam Dei gratiam,
sed grauissimam quoq; iram linguae animiq;
in oratione discrepantia concitat. Frequen-
tanda templa sunt, ut turturis huius gemitio-
bus aures personent, & caelesti huic aura
pectoris

pectoris fores reserentur; à qua stantes confis-
memur, inclinantes erigamur, aduersantes &
repugnantes capiamur. Quicumq; enim auri-
bus & cordi callum obducit, nec ad sordes elu-
endas Spiritum hunc admittit, is ut tanquam
cadauer abiectum vulturi infernali prada re-
linquatur necesse est: siquidem condemnatio-
nem suam iustam è sententia Apostoli lata iam
pridem cognouit. Cissi filius Saulus obuiam
factus Prophetarum Psalterio, tibijs ac citha-
ra, Spiritu Domini repletus è clitellaria vates
evasit: ad Davidis cantum Spiritus malus fu-
gatur, bonus reuertitur: dum Psalteres canit in
Eliseo Spiritus vires suas exerit. Nihil enim
est, quo equè donum hoc Dei excitetur, ac sacra-
rum cantationum dulcedine: quibus veluti
manubrijs Deum Deiq; thesauros capimus ac
tenemus. Superest igitur ut hisce diebus con-
iunctis in Ecclesia vocibus Numinis huius
opem & auxilium exposcamus
& inuocemus.

MAGNI-

MAGNIFICO ET

NOBILISSIMO VIRO DN.

Christiano Distelmeiero Dn. in Malsdorff

& Radesleben, Illustriss. Electoris Bran-

denb. Cancellario, patrono meo

summa observantia

colendo

S. P.



Am pridem est, Magnifice & nobiliss. Dn. Cancellarie, cum mirum me inuasit desiderium testificandi animi ergate mei; cuius expectatione in aliqua ex parte nunc expleo. Nam cum Te ab Academia nostra summo hinc opere, coli ac suscipi; Academiam a Te amari unice & commodis augeri animadvertesrim; facere non potui, quin observantiae & amoris mei, quem praecellae virtu

ſæ virtutis, eruditionisq; tuæ cē-
lebritas excitavit, ſignum aliquod
in publicum darem. Oratiuncu-
lam ſcilicet de laudibus Latinæ lin-
guæ à me habitam, cū primū
in profeſſorum numerum adſci-
ſcerer, Tibi, vir ampliffime, conſe-
cro, qui in iſta lingua ſic excellis, vt
ipſum Latium dici magis Lati-
num nequeat. Tameſi enim ſcri-
ptum hoc ita eſt tenue, vt gravita-
tem tuam non abs re perhorreſcat:
ad ſpem tamen optimam tibi pla-
cendi me erigit ſuaue illud ſeuerita-
tis condimentum, quod mirificè ab
omnibus commendatur, comitas,
quæ facit, vt benigniſſimè accipias
omnia illa, è quibus bonæ voluntā-
tis ſignificatio aliqua eluceat. Ac-
cipe igitur & hanc qualem cunq; a-
nimi erga te cultusq; mei indicem:
& his tuis Athenis, mihiq; in eis fauorē
rem

rem tuum conserua: certo statuens
inter eos, qui longè plurimi doctri-
næ ac virtutis speculam istam demis-
rantur ac certatim laudibus effe-
runt, Trygophorum non esse po-
stremum. Vale.

M. T.

observantiss.

Caleb Trygophorus.



ORATIO

ORATIO QUARTA.

DLinus auctor est, audito-
res praeantissimi, Appionem
defuncti Homeri animam ab in-
feris ad colloquium in terram elis-
cuisse; cumq; rem arduam ac difficilem per-
cunctaturus ex ipso crederetur, id unum quasi-
uisse, à quibus nam parentibus esset procrea-
tus. Ludicrum certè ac dignum quod omnis
um irrisione excipiat, ob rem tantulam tam-
q; nullius momenti ac ponderis, non dormien-
tem aliquem è cubiculo, sed demortuū è sepul-
chro excitari, eiq; tanta cum importunitate
facepsi negotium. Quod si & ego in hac
tam splendida corona, quam in egregijs artibus
ac disciplinis perpetuo studio quasi sepul-
tam, hodierno die non prestigiis & cantioni-
bus, sed inuitatione amica & precibus prouo-
catam huc adduxi, inane aliquod ac leue argu-
mentum proponerem; non immeritò risum
omnibus vel etiam stomachum mouerem: à
quo metu suscepta caussa dignitas ac prae-
stantia me liberat. Dicendum enim mihi est hoc
tempore

tempore de sermone Latino : & dicendum a-
pud eos, qui natione quidem Germani sunt, in
Latina autem civitate sermonis elegantia im-
perium facile obtinent : atq; eandem ob causam
sant linguam istam, in cuius possessionem feli-
citer venerunt, omni laude dignam maximè
iudicant. Amputato autem hoc uno timoris ca-
pite accrescit geminum : quo facere non pos-
sum quin formidinis aliquid mente concipiam.
Laudatur enim apud vos Romanae linguae praes-
stantiam, haud paullo videar ineptior eo, qui
olim Apollini Daphnen commendaturus actum
egisset : quòd ardentissimo iam amore flagra-
ret : praesertim cum ita hanc linguam in oculis
feratis, ut quis vos ipsos citius, quàm eam red-
dere vobis infensam queat, plurimumq; non
opera tantum sed odij in se derivaturus sit, qui
vobis praesentibus illam vituperare animum
in duxerit. Quoniam tamen quod quisq; perma-
gno aestimat id ipsum gloria & praedicatione
efferrì lubentissimè audit : rem non ingra-
tam opinor vobis & invidiam fecerit, qui
ad hanc Venerem vestram illuminandam ora-
tionis penicillum attulerit. Sed hic ne tenui-
tas mea in crimen veniat, ac pro decore de deo
cus adspersus offensam sibi pariat non gratia
am ; illud

G

am, illud verò est quod vehementer extimesco,
Polycletum quidem ferunt hominem in statuis
formandis solertissimum, conscripsisse quondam
librum de suo artificio: ac simul collocasse in
publico imaginem quæ omne illud re exprime-
ret, quod verbis ipse conceperat: verum idem
hoc in negotio ut præstetur, non esset prudentia
vestra conueniens si à me requireret: imbecili-
tati meæ si in se reciperet temerarium. Neq;
enim ego aut tam exhausto sum rubore, ut tan-
tum eruditionis mihi vendicem, quantum ad
hoc negotium pro temporis ac loci digni-
tate transigendum requiritur; aut tam igna-
rus rerum, ut non intelligam, cum, qui quod
per se politissimum perfectissimumq; est ora-
tioni impolitæ ac rudi includit, tantum à com-
mendatione abesse, ut ne veniam quidem ab
auditoribus ullam mereatur. Itaq; si de meo
potissimum consilio res agenda esset, in quouis
potius quam in hoc argumento periclitaretur
oratio: non quod ita sterile sit, ut non copiosis-
simam dicendi offerat segetem: sed quod mea
tuam ne minus commodè dicenti ipsa latini-
tas ob maiestatem læsam manus adferat. Ve-
rum non exercitationis amor, sed consuetudo
Academia huius laudatissima hos terminos
pepigis

pepigit, ut cum ab inclyto senatu Academia
Latina lingua professio mihi demandata sit &
à latina lingua laude professionis capiam ex-
ordium, cui dum gerere morem instituo, cuiusq;
auctoritatem iudicio meo ac voluntati prae-
fero: agite auditores praestantissimi, ad
exiguum tempus vacuas mihi aurium benevo-
larum ades facite. Per Romanam illam
vos linguam oro, de qua in praesentia agendum
est, quamq; vobis in amore esse novi, trepidan-
tem me gratia vestra erigite, gratiam atten-
tione declarate. Primum autem occurren-
dum his videtur, qui necessariam quidem huius
linguae cognitionem esse fatentur: in Aca-
demijs vero ut professioni eius peculiari locus
detur opus esse pernegant: quod è scholis tri-
vialibus, ut vocant, adferenda sit: neq; com-
mittendum, ut in puerilibus istis opera pereat.
A quibus ego illud querendum puti: cur non eadē
dem ratione Graecae linguae, atq; adeo omnium ar-
tium dicendi professores ex Academia in la-
dos literarios abire iubeant: quos (modo bene
constituti sint) non minor harum quam illius cura
attingit, aut si artium antummodo fundamenta
in scholis iaci, perfectionē in Academia addi-
dixerint: quid obstat, quo minus idem de lingua

Latina ferant privilegium? Enimvero si quis à ludimagistro perfectam & omnibus numeris absolutam tractationem postulat eorum quae discipulis proponit: meo quidem iudicio vehementer errat. Quemadmodum enim in iuniperis non sunt iidem fructus, sed alij iam maturi, maturescentes alij, alij pubescentes: ita discipulorum magna est varietas: ac maior pars primis initijs quasi in florem sese induit: nonnulli crudiores sunt adhuc, sed studiorum tamen progressu ad maturitatem accelerant: paucissimi vulgaribus istis praeceptionibus contenti ad altiora necessario transferuntur. Iam si ille pueritiae informator unum atque alterum curaret, negligeret omnes reliquos: ne is & fidem datam frangeret, & ad rerum summam pessimè consuleret. Quanto enim rectius in seminario suo tenuiores surculos ita educat, ne humore nimio suffocentur: adultiores plantas, quae sua iam fundamenta gestant in patientiores Musarum hortos doctrina uberiori rigandas inserat? Literarum igitur, syllabarum ac verborum cognitio totiusque orationis structura è scholis ad ferenda talis est, ne Priscianus (quod aiunt) caput comminatur, aut Grammaticorum ledantur regulae: sine qua
tamen

tamen anteccepta in formatione si hoc tempore
non neminem in publicum evolare dicerem,
ad eam rem experientia & veritas ipsa mihi
adesset. Sed hos sanè fines scholarum consti-
tuamus: quos qui nondum attingit, eum aut in
ludo literario cura publica, aut in Academia
privata se committere satius est: qui verò at-
tingit: in Latinam civitatem ingressus ille
quidem, non autem adscitus dicitur, priusquam
in ea quid ius ratumque sit penitus perspexerit.
Ne quis obsecro scholarum temporibus hanc op-
eram circumscribat, quam vix multorum ano-
norum spaciis terminat. Oneris enim illa
habet plurimum, ostentationis parum: & qua
fronte occultat, à tergo cum fœnore aperit. Ve-
rùm enim cum prisci illi vera latinitatis pro-
ceres hoc in negotio sententia principatum tea-
neant, qui certis dicendi modis suo quodam iure
& arbitrio sermonem Romanum illigârunt, à
quorum auctōritate recedere Latino civi est
relligio: ecquis est ille tam cæcus, qui non vi-
deat, quanti cursus conficiendi hīs sint, qui non
in vestibulo civitatis huius consistere, sed ad
loca interiora penetrare cogitant: qui non vul-
gares literas, sed gravitatem & nitorem anti-
quam aucupantur & indagant. Neque enim

manifesta omnia sunt & in propatulo posita:
sed multa sic inclusa atq; abdita latent in oc-
culto, ut nativus ipsorum color & incorrupta
species etiam multo sudore vix effodi atq;evel-
li possit. Non dicam quanti laboris sit ver-
borum singulorum vim ac naturam è bonis au-
thoribus eruere, & quid per se ac singillatim
significent agnoscere: cum saepenumero ab uno
aliquo vocabulo plures loquendi formulae, non
secus ac rivuli varij ab uberrimo quodam fon-
te profluant ac deducantur. Sola particulae,
quibus velut clavis constructa tenetur latinae
linguae, ac minima quae plurimum studij tempo-
risq; postulant: & quis conjunctionem omnium
vocabulary in oratione composita non nisi
scholarum tyrocinio committendã opinabitur?
Nisi verò quispiam hac, quae dixi, ad Rhetoris
professionem referenda putet: hoc enim
venire alicui in mentem possit, qui minus accu-
rate singula perpenderit: cum praesertim hac
studia cognatione tanta cohaereant, ut lingua
latina hoc tempore sine eloquentia tradi fortè
queat: eloquentia sine latina lingua nullo modo;
id quod paullo post notabimus. Sed quia tamen
aliud est latine dicere, aliud ornate: accendat
ille sanè eloquentiae lumen, & decentia candoris
ruborisq;

ruborisq; medicamenta adhibeat in comendis
sententiis, rotundandis periodis, & id genus
aliis quae ad ornatum orationis & cultum fa-
ciunt; ut sermo tamen dilucidus surgat, ut
mundus, ut deniq; latinus; totum illud à Gram-
matica mutuetur necesse est, quae illius rei ve-
ram sese magistram verè proptetur. Quod si
maxime peragrata unius Ciceronis regione
ipsam latinitatis arcem quis occupasse dicere-
tur: plurimum tamen dierum ac difficilior il-
la via esset, quam ut exiguo temporis spacio ab
adolescente infirmo posset confici. Iam cum
ad integrum iter absolvendum aliarum quoq;
nationum contemplatio requiratur: nemo, opinor,
adeò iniquus erit iudex ut eiusmodi pere-
grinatores ab Academiarum excludat hospitio.
Tamet si enim soli Tullio reliqui omnes disertae
ac latinae orationis palmam concedere videntur:
multa tamen aliorum etiam auctorum extant scri-
pta, quae absq; insigni saetura ac damno à latina
lingua studioso praetermittere nequeunt. Qua de
re dum paullo uberius dicere paro: nolite quaso
auditores praestantissimi, si non inaudita haec
vobis sunt sed notissima, eo minus dicenti faue-
re: nec quam non nova sint cogitate, verum
quam non à me praeteriri hoc in loco debeant.

Quatuor autem à memoria latini sermonis vltima etates eruditi homines deducunt: in quarum prima, quam antiquissimam vocant, permultos fuisse doctos, ut ait orator, suspicari magis quam intelligere possumus: cum nulla penitus eorum existent in literis monumenta prater orationem Appij Caci, & quasdam mortuorum laudationes, sicut in originibus scriptum reliquit Cato. Hanc altera, quam antiquam dicunt, excepit: in qua vixit Ennius ut Ovidius inquit, ingenio maximus, arte rudis: Accius etiam & Pacuvius: quibus Quintilianus auctor est, summam in excolendis operibus manum non sua sed temporum culpa defuisse. Floruerunt eadem etate Nevius, Caelius, & multi alij primae latinitatis patres: quos magnus etiam ille Plautus, Romanae linguae lex quadam emicuit. Sybaritarum tanta fertur mollities, ut ne gallum quidem gallinaceum in vrbe tulerint, qui somnũ ipsis interrumperet: Latinae autem civitatis incola auribus non adeo erit delicatis, ut propter horridas aliquot voces ac rigorem in dicendo dictos auctores in insulas deportari & exulare iubeat. Quanquam enim Iulius Caesar inusitatum atq; insolens verbum tanquam scopulam

scopulum fugiendum esse monuit: & Quintilianus pueros ex antiquorum lectione ieiunos fieri adserit: horum tamen vel edictum, vel consilium nobis tanti non est, ut non praetexta. ti illius apud Macrobius sententia videatur potior: qui eleganter differit, parentes artium antiquitatis non esse insolenter verberandos, aut tanquam sexagenarios maiores de ponte deiciendos, nec adimendum in verborum comitiis ius suffragandi ijs quorum M. Cicero & Varro imitatores se gloriantur. Et certe non semel Tullius priscas voces orationi insertas lucem nonnunquam adferre confirmat: neque id immerito. Quemadmodum enim cibi sale conditi iucundiores gustati sunt: sic antiquitate modica adpersa magis delectat oratio. Verbis enim proprijs, teste eodem Quintiliano, dignitatem dat antiquitas: & sanctiorum rem ac magis admirabilem faciunt orationem ea quibus non quilibet fuerat usus. Ac si nihil aliud, ipsa certe antiquitatis recordatio eam nobis commendabit: ut scilicet lingua excellentissima tenne initium subinde reminiscamur: imitati Agathoclem, qui memor paterna obscuritatis nunquam vasa aurea sine fictilibus admisit. Nonnulli sane tanta styli veteris

veris cupiditate & antiquandi studio tenen-
tur, ut ex ipsorum verbis nihil plus legenti
apparcat, quam ut est apud Suidam *ἀπὸ τοῦ
ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ* de quibus si aliorum audire senten-
tias vacaret, Augustus ipsos sensum animi
quam apertissime exprimere iuberet: Suetonius
cum Antonio tanquam insanos increparet,
scribentes ea quae mirentur potius homines
quam quae intelligant: Cicero cum Sisenna car-
peret, quod tum demum se loqui recte putent,
si loquantur inusitate: Ego vero cuius sum
esse pulchrum facile patior: & ab antiqua
hac aetate ad tertiam quae perfecta appellatur
propero: ubi facere non possum, quin Romani
nominis gloriam Ciceronem phosphori instar
refulgentem Poeta verbis compellem: quae te
tam laeta tulerunt secula? Quanta enim quam-
vis omni cogitatione, nedum omni orationis
facultate maiora sint scripta huius viri, cum
nemo vel leviter tinctus literis ignoret, quid
attinet dicere? Sive enim inter Latinos au-
ctores philosophiae cognitio quaeritur: nemo de
ea unquam Latine scripsit rectius, eruditius,
perfectius, uberius; sive sermonis elegantia &
puritas: ita eleganter, ita pure loquitur Cicero
ut nihil Ciceronis sermone elegantius ac purius
fieri

fieri posse credendum sit. Huius omnino viri
industria effectum est, ut quae propria fuerat
olim Graecorum gloria aut ad Romanos commo-
grauerit, aut cum Romanis communicata sit.
Verum ego de eius laudibus nihil dicam in
praesentia amplius, ne ubi multa dixerim nis-
hil dixisse à vobis existimet, adeoque ludus &
iocus fiam. Tanta quidem certe huius aetatis
fuit felicitas, ut natura omnem ingenij ac lin-
gua vim artemque effudisse in eam videatur:
neque quidquam in subsellis, in rostris, in curia
in cunctis denique Reipub. partibus visum sit, in
quo non augusta quadam & magnifica oratio-
nis facies eluxerit. Quid Terentius è cuius
natiua puritate diserta Ciceronis lingua fluxit,
an non sermonis Romani artificiosam proprietatem
pleno ore ebuccinat? an non omnia ita com-
posuit, ut incunda, plana & perspicua sint, nec
quidquam ambigui habeant aut ambitiose ad-
fectant? unde etiam Cicero optimum Latinitatis
auctorem ipsum appellavit, atque ita expressit,
ut non vidisse sed legisse, non dedicisse sed
imbibisse omnia eius scripta credatur: & se-
culi nostri lumen Melancthon, nullum in latina
lingua scriptorem exstare dixit, quem magis
cognoscendum, atque ediscendum, censeat.
Quid

Quid Caesaris commentariis dici aut cogitari
potest rectius? quid venustius? qui historiam su-
am non calamistris inussit, sed veritate pura
& illustri vestijt. Ac Sallustius (cuius viri utinā
mores doctrinam aequassent) licet ob affecta-
tam antiquitatem ab Asinio Pollione repre-
hensus sit; ita tamē absolutē, castē, & innocen-
ter scripsit, ut eruditi homines cum Thucydi-
de eum conferre non dubitent; quem Cicerō
tam sententiis crebrum autumat, ut penē ver-
borum copiam frequentia sententiarum conse-
quatur. Producendus hoc in loco erat ingens
Livius, numerosus Horatius, amarus Calius,
gravis Brutus; ac præ reliquis natura illa cæ-
lestis atq; immortalis Virgilius; verūm non
solūm vox me sed dies etiam deficeret, si omnes
eos, quos feracissima hac virtutum ac doctri-
na atas agmine longo traxit, non celebrare di-
cendo, sed percensere velim numerando. Ita-
q; ab hac atate tam firma, integra & sana ad
eam venio, quæ provec̄ta & decrepita finem
sermonis Romani vitæ attulit. Habet illa quis-
dem & suam laudem, ac illustribus ingenis
quibus abundavit clara est; sed quia tamen ni-
hil semper floret, verūm in deterius ut pluri-
mum singula precipitant; sensim vires eam
ac sen-

ac sensus deficere cœperunt, quoad tandem pe-
nitus resuerasceret, ac periculosè agrotans
animam latinam efflaret. Ita cecidit Latium
& ingens gloria Romanorum, ac sordida bars-
baries successit quam solennium ac decoris pri-
stini pudor, quisquiliarum autem emissitia-
rumq; amor tantus invasit, ut verborum por-
tentia in dies singulos nova parerent, quibus
non homines loqui, sed asino rudere equum fo-
ret. Hoc tam crudeli dominatu amplius quino-
gentos annos latinitas pressa est, quo tempore
nec latine ipsi locuti sunt homines, nec alios
qui latine scripserant intellexerunt, usq; eo-
dum tyrannoctoni quidam miseratione permo-
ti acerbissimum diuinae servitutis iugum re-
pellerent, ac Musas latinas longo intervallo à
siti ac rubigine ad fulgorem, à vitis ad salu-
britatem, à morte ad vitam revocarent. Ho-
rum igitur labor tantum profecit, ut explosa
barbarie Latinis imperium sit redditum, nec
seculo nostro multum absit de antiquitatis lau-
datae artificio. Quorsum autem hac oratio
longior? Observare scilicet quid & quomodo
veteres latini dixerint, non parvi temporis la-
bor est: cum tot scriptorum replicanda sit me-
moriam; quorum lectio ab Academiis arceri nullo
modo

modo potest, ut non iisdem Massa etiam ipsa
extrudantur. Quomodo enim & qua fronte
Grammatices studio, Academiarum portas nos
claudemus, quam doctissimi quique Romani in
liberalium disciplinarum numero habuerunt:
quam Varro, Gellius, & Gellij amulus Macro-
bius tanta sollicitudine indagaverunt, tanta di-
ligentia professi sunt? ad cuius denique tene-
bras discutiendas faciem dubio procul studio-
sis preferrent duo volumina, Caesaris quidem
de Analogia, Messala autem de singulis lite-
ris: nisi iniuria temporum ea nobis una cum
dimidio Varronis opere invidisset. Qua-
cum ita sint: animum spero mutabunt, si qui
sunt, qui eius linguae professionem ab Acade-
miis alienam putant, cum qua in Germania exor-
siente omnes aliae artes exorta sunt ut cum
coidente occiderant. Iam vero contra eos
congruendum est, qui Romanum sermonem
non tantummodo ex Academijs, sed ex uni-
versa Germania exterminari volunt, atque in
patriam linguam exornantem conferri omne
illud studium postulant, quod in externam
hanc & adventitiam impenditur. Ignosce
mihi quae paterna lingua si ad aliam conditi-
onem nullam accessero, ac ipsa comedit veritas:
qua

quæ laudem tibi maximam tribuit: sed latino
sermoni maiorem. Ea omnino orationis faci-
enda ac ornanda in vernacula nostra lingua
vis & copia est, ut quod in oratore Cicero re-
quirit, de horridis rebus mitidè, de ieiunis plea-
nè, de pervulgatis novè dicere possit: verbisq;
suavibus, gravibus, politis ac sonantibus redun-
dit: sed tamen si quod res est fateri volumus
omnem istum ornatum à latina locutione in
Germanicam non aliter atq; sanguinem à cor-
de in corporis membra venisse fateamur ne-
cesse est. Quanquam enim sua cuiq; lingua
est genus, qui non facile migrat in corpus ali-
enum: ita tamen hanc ab illa fluxisse manife-
stum est, ut inops locupletandi modum inde
didicerit, incultra illuminandi artem inde hauri-
serit, semperq; ab ea plus dignitatis quam à se
ipsa adeptæ sit. Neq; verò eadem est ratio lati-
nae linguae & nostrae: quamquam quæ magis est
nostra, quam quæ unà cum imperio totius orbis
ad nos delata est? sed ut maximè peregrina
sit, cum ea certe domestica nostra ubertate atq;
usu non potest conferri. Germanorum enim
sermo iisdem quibus Germania finibus
terminatur, nec ad exteros nisi cum Ger-
manis egreditur: Latinus autem non alpiibus
ac latio

ac Latio clauditur, sed toti terrarum orbi adequatur: qui Europa, Asia, & Africa intelligitur: quem Gallia, Hispania, Pannonia, Dalmatia, Illyricum atque gentes ac nationes innumera suspiciunt ac venerantur. Proinde excolamus, ornemus, perpoliamus, assiduam hanc vitam & conditionis nostrae sociam: sed ita, ne tot seculorum & nationum alumnam, cui vobis nostra par est, viribus impar, e consuetudine nostra ac familiaritate exturbemus. Diuurnitatem memoriae & incrementum linguae nostrae offerri precemur: eadem (quia sic Deo visum est) Romana oblata non inuideamus: quorum illud pietas iubet, hoc flagitat aequitas. Praesertim quum seminarium illa & fons sit omnium doctrinarum liberalium. Quodcunque enim ad vere pietatis doctrinam & cultum religionis facere potest: quicquid sapienter, prudenter, utiliter, in legibus, medicina, historiis scriptum est: quodcunque denique vel ad consilij prudentiam vel ad actionum honestatem in vita publica aut privata utile est ac necessarium: totum illud in sermone latino ita non adumbratum leviter, sed accurate expressum legitur, ut quae in aliis linguis occulta & quasi involuta sunt, in hac prompta & aperta

aperta omnibus conspiciantur, & viva re-
rum omnium imago aut ex hac appareat, aut
ex alia omnino nulla. Etenim ne semper Ci-
cerones, Livios, Caesares loquamur: quanta in
laude ponendi sunt antiqui illi, Augustinus,
Cyprianus, Hieronymus Lactantius & multi
alii, qui duce divino spiritu id egerunt pie,
peregerunt feliciter, ut fontes Israelis in La-
tinae etiam lingua regnum ac ditionem de-
ducti sint, ac mira cum voluptate à sitienci-
bus hauriantur: cum non difficulter sed facio-
le, non barbarè sed Latine, non incultè
sed ornatè, non jejane atq; exaliter sed copia-
ose & fuse reconditum scripturae sacrae sensum
aperuerint. Ne quis autem hoc ita à me dici
fortè existimet, quasi illa aut conferre He-
braeis aut praefere velim: in eorum me sen-
tentiam ire affirmo, qui tantum à scripturae
sacrae vinci patrum scripta ajunt, quantum à
sole umbra superatur. Sed quia tamen mun-
di ac religionis instaurator DEI filius cruci
suffixus hac etiam lingua nobilitari nomen
suum voluit: eaq; potissimum tanquam sar-
mentis ac ligno arido ad alendum ignem, quo
obvias idololatriae sylvas popularetur, usus
est: nemo mirabitur, gentilem Ethnicorum
linguam

H

linguam

linguā unā cum Ethnicis sacrariū illud prius
sibi clausum summa cum dignitate, sic an-
nuente numine, esse ingressam, atq; ex hac
plena velut cella epulas divinas affatim peti
ac depromi. Itaq; etiam ab errorum opinione
recedendum esse puto, qui nescio qua religione
adanti voces religioni nostrae ac fidei pro-
prias e Latina civitate eiecerunt, qua viri
tam eruditi, nec recentiores, ipsas pridem dona-
verant. Quanquam enim, ut eleganter Varro,
tantum inter duos sensus interesse volunt, ut
oculis semper aliquas figuras supellectilis no-
vas conquirant, contra aures expertes esse
velint: tamen in tanta fidei ac rituum novi-
tate nova etiam verba, modo probata sint non
sordida, usurpare satius erit, quam unum ali-
quod novum in vetera plura diducere. Quod
si Rhetorum insistere praeceptionibus vellem,
excurrendū esset ad orationis sive vocis hu-
manae originē: cumq; prima illa causa homi-
nem non ad vitā cum brutis eandem fecerit,
sed tam perspicaci ingenij lumine illustratū,
tot animi dotibus decoratū, ad sui imaginem
finxerit, & huius mundi incolam esse habita-
toremq; iusserit: expediendū esset, quam cum
ratione recta ac verē divina, tam oratione
articulata

articulata ac distincta, à reliquis animantibus
separetur: Platonis etiam, qui in Cratylo
sermonem non ab arte sed à natura deducere
videtur, refellenda oratio: quod rerum quidē
species apud omnes eadem sit, diversa autē nos
mina; quorum multa primum nulla natura ac
rerū habita ratione temerè nata sunt: Ego
verò quæ de toto linguarum genere monerè
poterant, alij tempori reservo. Et ad Latinam
revertor: quæ, sicut modò dictum est, in rebus
divinis non infimum, in humanis autem prin-
cipem locum obtinet: adeò ut quaecumq; in-
stitutum quis capturus sit, ita semper estimet,
aliorum sibi cognitionem esse fructuosam ac
decoram, huius usquequaq; necessariam. Nam
si ad eam disciplinã, quæ iura ac vivendi leges
hominibus prescribit, mentis cogitationem
appellimus: quomodo iudicium faciet. Et purè
causam alicui adjudicaturus est, qui non ex
omnibus partibus suis leges pertentaverit?
Quomodo verò perspicere illas Latinitatis
ignarus poterit: cum earum memoria in
corrupta Latini sermonis integritate moni-
mentis consecrata sit? De his nunc mihi ser-
mo non est, qui rectè à rabie dicti rabula eru-
ditis & elegantibus non rarò obstrepunt,
H 2. eosq;

cosq; grunire suo aequè ac ludenti sues ele-
phantos obtundunt; verum de ijs qui sive ipsi
de jure respondeant sive ad vim scripti judi-
cem revocent, scripto semper nituntur, &
quomodo lis intendenda aut injuriarum actio
instituenda sit norunt: quibus testificationes
exceptiones, tutela, hereditates stipulatio-
nes, usucapiones, alluviones, lumina, stillaci-
dia & infinita alia, quid de jure & quantum
poscant, manifestissimum est: hos omnes
lingua huius gnaros esse argumento est, quod
sola eius scientia sedes ac fundamenta conti-
neat. Ipsi philosophi, de quibus venire aliquis
in dubium facilius possit, his sapientia nutri-
cibus, in quorum sinu (ita venustè loquitur
Scaliger) philosophia olim robur crevit, care-
re minime possunt. jampridem n. eorum
error explosus est, qui quondam non doctrina
sed barbae magnitudine philosophum metie-
bantur, nec se philosophos haberi credebant,
nisi herentes in salebris horrida & inculta
oratione sine ullo artificio uterentur, sum-
mamq; Romanae linguae castimoniam verbis
barbaris deditq; opera turpiter inquinarent.
Et quoniam spurcissima hac docendi consuetu-
do hoc in loco non tam verbis, quam (quod
plus

plus ponderis habet) exemplo eorum infir-
mata est, quorum vocibus quotidie hac tecta
personant; multus hic esse desino. Nam quod
nonnulli sine eleganti sermone philosophum &
alium quemlibet, qui rebus intentus est, non
verbis, tolerandum non culpandum esse adse-
runt; ne nos quidem orationem eam esse pro-
bandam ducimus, intra quam res nulla subest:
ac merito ipsis largimur, qualemque sermo-
nem ad necessitatem sufficere, non autem ad
dignitatem & pulchritudinem. Quippe tu-
gurium & domus rustica homines poterat
capere: at quaruntur etiam tecta caelata &
laqueata. Glande fames, aqua sitis depelli-
tur: at nec cibus ac potio lautior contemnitur.
Ab ardore solis & hyberno frigore corpora
vel animalium pelles descendunt: at splen-
dor quoque vestium & magnificentia delectat.
In reliquis igitur omnibus ornandi studio te-
nebitur: in hoc uno deficiemus & ubi mun-
ditiam ad hiberi pulcherrimum est, sordibus
obsolescere turpissimum. Quamvis. n. gra-
viter Epicletus à natura mortalibus unicam
datam esse linguam, aures geminas dixerit,
ut loquendis audita duplo essent plura: &
Angerona silentij praesul, quae inter antiquissi-

mas religiones Romæ celebratur, ob signato
ore effecta fuerit: quod tacere quàm loqui
sit melius: congressus tamen prorsus taciti
esse nequeunt. sed verba saepe res ipsa extors
quet. iam quis est ad cō aggressus, qui non
emendatè atq; concinnè differentem au
dire malit, quàm asperè ac hiulcè verbo
rum monstra cruciantem? Quemadmo
dum n. vina quantumvis licet generosa si in
vasa putrida infundantur, vitium contra
hant ac suavitem saporis amittunt: ita sen
tentias per se egregias fœda turpat oratio.
Quid eloquentia? quantam vim habet?
qua id effecit Pericles, ut populus ipsius ver
bis, quàm suis oculis fides plus tribuerit:
qua Hegesias Cyrenæus, si Cicero credimus,
multis persuasit ut collis in laqueos insertis
vitam finierint: cuius deniq; beneficio Car
neades nullam unquam rem confirmandam
suscepit quam non probaverit, nullam impu
gnandam quam non everterit. Ad flexani
mam hanc reginam rerum prima via est la
tina & pura oratio: quam qui non perrexe
rit, multum aberrans frustra laboribus
defatigabitur. Nam si in ullo alio: in hoc
certè

certè dimidium facti qui bene cœpit habet &
nec quisquã ad summa illa nisi per hos gradus
adscenderit. Quod & quod doctissimus quisq;
si in sermone hallucinetur ac ruat, habetur
indoctior? & amicis pudorem parit, eruditis
risum, sibi ipsi ignominiam? Nec multò
melior librorum fortuna est qui sordibus in-
quinati sunt, quàm liberorum quondam apud
Spartanos: quorum qui forma liberaliori
erant præditi ex Lycurgi lege publicè educa-
bantur, qui deformes ac manci, vel in loca
prærupta exponebantur, vel in ultimas ter-
rarum oras ablegabantur. Multùm omni-
no conducit ijs Latine lingue cognitio ad no-
minis famam, qui cum corpore mortuo me-
moriam suam efferrè nolunt, sed ad lau-
dem ac prædicationem aliquam fluere ge-
stunt. Plena enim est exemplorum, an-
tiquitatis in hac lingua commemoratio, quæ
vel ad procurationem negotij & muneris
publici, vel ad domus privata administræ-
tionem, & omnia ea in quibus vita humana
felicitas consistit, erudire homines commodis-
simè potest. Hæc ergo firmamenta Ecclesie,
hæc stabilimenta Reipublicæ, hæc sapientiæ &
virtutum

virtutum domicilia, hos nervos rectorum atq;
domorum omnium qui non amant, non omni-
bus tam animi tum corporis viribus tuentur
& conseruant: ne illi existimandi sunt ipsas
Ecclesias destruere, Respublicas vastare, om-
nem humanitatem delere, retrahere barbariem,
qualem superioribus seculis maiores nostri exa-
porti sunt, iterum in agros, in vrbes, in ipsa
cum publica tam privata teeta inuehere.
Vos igitur studiosi adolescentes (eos compello
qui opera nostra vsuri sunt) non hortor tantum
sed obtestor etiam, ut quod ante hunc diem in
ludis literarijs cum tadio forte ac metu, fe-
liciter tamen colere cepistis studium, posthac cum
voluptate persequamini: & linguam excolatis
dignam ingenio, dignam aetate, dignam spe
illa quam maximam futura dedistis gloria.
Nonnullos vestrum suggesta templorum exa-
spectant: alios aula principum & magnorum
imperatorum gubernacula: schola regenda erunt
alijs: alijs legationes obeunda: in his omnibus
ita semper existimabitis, nihil futurum cogni-
tione huius linguae fructuosius, nihil ignora-
tione perniciosius. Videte eos qui pro libro libra,
pro calamis lances manibus tenent, qui honorum
auctorum scripta accepti & expensi tabulis
perman-

permutant: his cogitationes nullam partem
neq; nocturna quietis neq; diurna impartiant,
dum linguam aliquam barbaram in longin-
quis etiam regionibus addiscant, cuius scien-
tia mercaturis tantum faciendis est utilis.
Illi tanta sedulitate venantur linguam, quae
praeter questum & lacrum, ac rei familiaris
amplificationem tot fortuna flatibus expo-
sitam nihil acquiritur: nos eam incultam esse
patiemur? quae tot seculis totum terrarum
orbem moderata est: quae res maximas domi
forisq; in bello & pace gestas complectitur:
quam divinorum ingeniorum vigilia illustra-
runt, ipsae Musae tum utilitate singulari ac
dignitate amplissima, tum incredibili pul-
chritudine venustateq; condecorarunt. An-
tiquorum amulari in loquendo innocentiam
inanis forsitan laboris fuerit: at non laudis
exigua; qua omnes se ornari merentur, qui non
longissimè à concinnitudine prisca distant, ac
barbarè loquentibus dissimiles sunt, ut ma-
ximè veteribus istis non sint similes. Pro-
inde si quis vestrum eo est animo, quo omnes
esse debemus, ut Romana lingua incolumita-
tem ab hostium incurribus ac ferocia defenden-
dam censeat, pergite quaeſo in laudabili insti-

H 5

INTC;

ruto, atq; in ea quam pra vobis fertis senten-
tia permanete: arcete à sedibus patrijs nullo
negotio barbariem domitam, quam domi-
nantem multo sudore maiores nostri oppresse-
runt: defendite ab interitu praecleara illa, quae
ex non bonis optima illi reddiderunt. mihi
credite, si minus, ut olim, Tyrannicidis, in
gymnasio vobis imago posita fuerit; in poster-
ritatis certe memoriam incurretis, quicumq;
gloriosam ex his hostibus victoriam eritis
consecuti. Nec verò minorem parentes ve-
stri aut qui parentum loco sunt voluptatem
cipient, si victores vos quasi curru trium-
phali in capitolium Romanum inuectos vide-
rint, quàm y quos Epaminondas olim trium-
phi sui spectatores fuisse unice gaviscus est.
Equidem quod imperatores (quem tamen ego
non ita impudens sum ut me in hac militia
profitear) sed quod imperatores instructa
acie facere solent, ut quanquam paratissimos
milites ad praeliandum videant, eos tamen
cohortentur: ita ego miles gregarius, vel
si ita mavultis, dux, magis semper magisq;
ad victoriam reportandam vos inflammabo:
Et quomodo cum hostili exercitu velitari aut
praeliari conveniat, pro viribus monebo. *Vnum
illud*

illud deprecor: ne quis de opera mea praer-
diciam faciat, sed de ijs, quae à me profecta
esse ipse audiverit, candidè iudicet. Neq; n-
avidorum morsus vitare atq; effugere curo
si non possum, neq; possum si non curo: quos, si
ex ingenio meo coniecturam facio, nullos ha-
bec: si ex aliorum rumusculis, aliquos. Namq;
cum hac provincia non eblanditis suffragijs,
sed legitima electione adeoq; divinitus mihi
decreta sit: in spem maximam, & quemado-
modum confido verissimam adductus sum, fo-
re ut operibus meis dexteram clementer por-
rigat, qui operum mihi causa fuit, ac subsidio
veniat laboranti, qui ad laborem hunc me
adoptavit. Ingressiendum sane nobis est in
angustissimam Romanae linguae domum, &
lustranda ea quae secretiora sunt, nec omni-
um oculis exposita: ad quam rem ducto-
res nobis erunt magni illi triumviri Cicero,
Terentius, Plautus Grammaticorum cohors
tribus stipati: quorum scripta alternis le-
ctionibus ita explicabimus, ut non tam im-
perfectione elaborati, quam ad cognitio-
nem plani, ad perceptionem faciles videa-
mur: nec penitendam ad studia accessio-
nem faciant, qui se comites nobis praeberint.

Quan-

Quandoquidem n. ut aromata ac herba si tes-
rantur odorem adflant uebementius, ita di-
cendi flosculi si etiam atq; etiam uersentur,
magis spectantibus arriident: in œconomia ac
dispositione auctorum minutatim singula lura
strabimus, ne quid nos pratereat, quod sermo-
ni Latino ornamenti aliquid adferre ua-
leat. Neq; tamē ita uocum dulcedini tanquam
Sirenium cantibus adhaerescemus, ut omnem
rerum ac sapientie curam abiciamus: sed
quoniam ut lepidè Plautina Scapha differit,
non vestem amatores amant, sed uestis far-
tum: cum orationis studio investigationem
rerum & annexos sapientie fructus coniu-
gemus: qua copulatione tam arcta conglutina-
ta sunt, ut si diuellantur, idem sit ac si à
corpore anima distrahatur. Possem adducere
quosdam qui hoc ita confirmant, ut si qui sint
qui eliter sentiant, tamen auctoritate eorum
atq; doctrina permoti facere non possint, quin
ad nostrum iudicium sententiam suam ad-
scribant: sed res ipsa loquitur, in solis Tully
epistolis plurima esse recondita, qua ad ui-
sam, ad mores, ad Rempub. ad omnem de-
niq; humanitatem instituere legentem opti-
mè queant: ut non mirandum sit, Camerarij
praecepto-

praeceptorem legendis ac relegendis ijs promo-
ptam & expeditam elegantiam quacumq; de
re & quocumq; in negotio verba faciendi com-
parasse: ac discipulum ut quotidie unam ex
illis memoria mandaret pie ac fideliter mo-
nuisse. Molestia forsitan aliquid creatura
sit hora huic lectioni destinata: sed ut ma-
xima eius pars in me uno resideat, alijs a-
dimatur, laborabo; qui mei oblitus, memor aus-
ditorum, amplissimum pro labore primum
metulisse arbitrabor, si non nemini placuisse
cum ac profuisse cognovero. Cum autem
nunc faciendum sit initium: omnisq; inutili-
ter pereat opera, nisi divina ope fulta prove-
hatur: restat ut sacrosanctum numen ex in-
timo cordis affectu orem, ut quam necessarium
est hoc opus quod in manibus est, tam idem &
felix & salutare esse velit. Tu igitur eter-
ne rerum parens, qui linguarum utilium au-
tor verus & fautor es: cuius flatu prospero
adiuta studia prosperè procedunt, destituta
miserè dilabuntur: ades precor, & hos captus
eventibus secundis decora. Mitte ex altis-
simo caelo maiestatis tuae solio moderatricem
rerum sapientiam, qua mecum sit, & iuven-
iles annos ad veritatis normam dirigat, ac
discerentem

discentem docentemq; ad ea deducat, quae
laudi tuae & hominum usibus aliquando in-
serviant. Nefas quondam fuit praelium ini-
re, quando Latinarum solenne concipiebatur;
& mitissime Pater, nostris etiam hisce La-
tinis feriis, quas non ficto Ethnicorum Iovi
Latiali, sed tibi vero D E O ac Iehovae cae-
lesti sacras esse volumus, tutam tranquilla-
tamq; pacem benigne confice atq; largire.
Coerere fulmen illud, quod viscorusca discens
trum agmen terruit: & post nubium cons-
pictus ac tenebras quietis amatae lumen ac-
cende: ne rerum portatur umbrarum ille
& noctis princeps ac raris turbae congressus
suis pusillos cachinnatione amarulenta eludat:
sed quod te aedificatore humanitatis domi-
cilium exstructum est stabile permaneat ac
senium ferat, talesq; nutriet quamplurimos,
qui nomen tuum gloriae & praedicatione
sempiterna efferant.

Amen.

D I X I.

ORATIO

ORATIO QVINTA.

Illustris ac generose Dn.
Comes, Sp. Dn. Decane, viri cla-
rissimi, juvenes Doctissimi & hu-
manissimi: Romanos accepimus in honorem
Veturia ac Voluptatis ut sexui foeminino vi-
ri semita cederent sanxisse, ysdemq; adem &
aram perpetua animi grati monumenta ere-
xisse: quod illa filium, hac maritum Coriolan-
num urbi ingrata cum ingenti Volscorum co-
exercitubellum & arma inferentem precibus
placavit, atq; adeo praesens exitium a tectis
urbis ac mœnibus averterit. Quod si unus
urbis liberatores tanta honorum insignia de-
portarent: quam totius orbis Redemptori re-
feremus gratiam; qui pro salute nostra atera
no parentis supplex iræ ardorem extinxit, &
acerbissimum à nobis interitum amolitus est.
Quare cum in omnibus materijs tractandis
versari soleam alacrius, quam videatur vel
ingenium meum vel doctrina permittere, in
hac ita me multa oblectant, ut quantum mea

ignorat.

ignorantia facultatis mihi detrahatur ad laudes
Servatoris nostri exprimendas, tantum au-
dacia animus adferat. Primum enim dico
de beneficijs Filij Dei, quae etiam si infinita
sunt, & immensa; tamen ea quae ex ipsius na-
tuitate proficiscuntur ita sunt ampla, ut ad
hominum latitiam nihil accommodatius, ni-
hil ad communem salutem utilius dici co-
gitari vè possit. Deinde quanquam fortassis
non neminem a dicendo abstrahit virorum
praestantissimorum praesentia, auditorumq;
eruditorum frequentia, quorum doctrina vi-
detur orationem requirere acriori confectam
ingenuo, maiori elaboratam industria; tamen
vestra attentio tenuitati meae benevolens
tiam favoremq; pollicetur. Merito igitur
cum gaudio hoc conventus & hac vestra fre-
quentia nitor, in vestris oculis vultuq; acqui-
esco: in ea praesertim causa qua non tam co-
piam in dicendo quam modum postulat. Mo-
uet me etiam diaboli importunitas, qui si un-
quam fremit, hoc certe tempore ardet furore,
furit audacia. Id quod non aliorum sermos
ne magis, quam ipsa experientia edocti, ani-
madvertere ac memoria tenere debemus. Ac
ne longius quam par est orationuncula initium
exten-

extendatur, videte quid usus ferat, si quæ
heroum filij nascantur, quomodo ad gratu-
landum ipsis Sicelidum Musarum auxilia
implorentur, & omnes ingenij vires ad eo-
rum descriptionem conferantur. Hoc si au-
toribus decorum, infanti laudabile, parentis
bus gratum est: quis non omnibus modis hu-
ic tanto heroi; tanti parentis proli placere
studeat? Vos ergo auditores humanissimi
quando hoc dicendi munus non ostentationis
caussa à me, sed gratitudinis studio suscipi
animaduertitis: concedite mihi quæso ad dis-
midium hora benevolas aures, ac si quid huic
negotio vobisq; auditoribus minus conueni-
ens attulero, partim ingenij imbecillitati,
partim rei magnitudini tribuite. Ut verò
commodius rem ipsam aggrediar, primum
mihi de nativitate regis nostri, deinde de
beneficijs eius nativitate partis, tum de
muneribus quibus est ornandus, dicendum
videtur. Ac primam quidem partem velim
non vestra causa me tractandam sumpsisse
putetis. Scio n. ex vobis neminem esse, qui
Christum verum Deum & hominem natum
dubitet, neminem qui hoc non animo credat,
ore fateatur, Illorum tantum eam opponam

I

audacia

audacia, qui malitiãne dicam sua addu-
cti, an divino iudicio impuls, eam rem cu-
ius veritas tot hominum fama confirmata,
tot annalium monumentis mandata poste-
ritatiq̃ propagata est, in dubium vocant,
vehementissimeq̃ oppugnant. Et quoniam
nihil apud eos religio, nihil Ecclesie va-
let auctoritas, non utar ijs que à quatuor
Evangelistis eius rei testibus dignissimis
ita tradita sunt, ut undiquè facta non
ficta appareant: neque adhibebo Eccle-
siam, cuius testimonium ipsis sanctum esse
debebat: non quod multitudine fidem im-
petret, sed quod horrendis persecutioni-
bus adflicta, infinitis quassata heresibus,
manifesta Spiritus sancti ope contra om-
nes impetus veritatem huius rei immo-
tam servaverit. Rationibus tantummodo
ipsorum contrarias rationes objiciam, ut,
si in viam revocari non possunt, (hoc enim
prorsus desperandum videtur) errorum ta-
men quibus submersi sunt crassities cunctis
innotescat. Ac licet omnia negent, hoc
negare neque possunt neque audent, Mes-
siam

siam nasciturum fuisse, & quidem impes-
rio à Iudais nondum ablato. Adest Ia-
cobus, cuius ipse D E V S, si quando ma-
gnificentiam suam & veritatem homini-
bus demonstrare vult, D E V M se no-
minat. Adest Micheas, cuius vatici-
nationes, nisi Prophetarum scripta rem
commentitiam ac futilem arbitrentur, in-
firmare nequeunt. Horum alter regnum,
alter urbem Iudaicam, quibus nondum e-
versis C H R I S T O prodeundum erat,
nomine exprimit. Danielis testimonium
prætereo, cuius hebdomade, vel ipsis se-
stibus, jam pridem effluxerunt. Quousq[ue]
igitur gens impia suis delectabitur so-
mnijs? quamdiu venerandam D E I ve-
ritatem eludet? Num concidisse suum im-
perium non videt? politias Moscaicas de-
letas esse non sentit? Ipsa certè Bethlehemi
cadavera Hierosolymæq[ue], diruta tecta, si,
quem natura negavit, sermo contingeret,
ipsam mendacij convincerent, increduli-
tatis arguerent, mortis aeternæ damnarent.

Non enim se nunc tam oppida quam casas,
non tam Messie domicilium, quam latronum
speluncam esse cum dolore proclamarent.
Utinam gens perdita animi acie intueretur
arcam illam fœderis, quam ipsius maiores
corporis oculis aspexerunt: facile imaginem
Messie ex ea colligerent. Illa ex auro &
ligno constitit, hic Homo est & DEVS:
illa legis tabulas complexa est, hic mentem
eius exponit & complet: Illa pane cœlesti &
Aaronis virga ornata fuit, hic vitam quam
in crucis ara posuerat, sibi restituit, alijsque
fide comprehensus impertit: Illa à Levitis,
hic ab Apostolis est circumlatus. Sed occur-
rant hic nobis, & quem natum dicimus Chri-
stum, non tenuisse huius mundi imperium,
nec Abrahami posteros, id quod Messie sit, in
libertatem vindicatos, opibus cumulasse adse-
rant. Mallem equidem dementia crimen
metuerent, quam hæc tam insulse ac teme-
rariè effutirent. Qualis enim ea est guber-
natio, quæ mundi legibus exposita, mundi
vices singulis temporum momentis experiri
cogitur? Quomodo quod terrenum est à
corruptione alienum esse potest? Quomodo
verò quod corruptioni obnoxium est, CHRI-
STI

S T I imperium nominabitur ? quod perpe-
tuum fore omnium Prophetarum scripta do-
cent, uniuersa testatur antiquitas. Cum
Iacobus D E I in fide victor, ad patres suos
abiturus testamentum faceret, inter alios
duces è prosapia sua orituros spiritu prouidit
Simsonem ceu colubrum in via equi ungu-
las perstringentem: & quanquam ipsum robore
gigantes hostium vires profligaturum, &
iniurias populo D E I illatas acerrimè vltu-
rum presensit: tamen ab isto sole avertis ad
verum iusticiæ Solem, his verbis mentem
dixit: D O M I N E, spero in salute
tua. Hunc enim non leonis, sed diaboli fauces
dilaceraturum: non portam urbis Gazæ in
montis verticem, sed inferni fores & caro-
cerem in cæli arcem gestaturum: non deni-
que morientem Palestinos, sed ipsam mortem
prostraturum contriturumque prospexit. Cum
Iacobo igitur à Messia nostro non perituras
huius mundi & fluxas expectamus diuitias,
sed eas quæ perennes sunt, quæ nullius una
quam seculi iniquitatem pertimescunt. Quæ
cum ita sint, potestis iam constituere, num
respondere possimus Iudeorum delirijs qui
non modò errata sua non agnoscunt, sed ar-

Etè tenere, acerrimè defendere, & alijs verè
instar obtrudere conantur. Non me hoc
loco scelerata eorum movet impietas, qui
CHRISTVM quidem natum esse, non,
ut illi, negant, sed tamen veteratorum mo-
re in persona eius describenda ludant. Ho-
minis enim naturam ipsi tribuunt, DEI
essentiam, atque adeò salutis firmamentum
adimunt: ideò quod rationi minus consensu
taneum videatur, finitam naturam cum in-
finita, mortalem cum immortalis, creatricem
cum creata coniungi. Ignorant videlicet
qui ingentem cæli ac terræ molem sine ve-
litis, sine machinis, sine ministris, solo ver-
bo extruxit & condidit: qui divisis ponti
vndis profunda alveum siccavit: qui soli ac
luna frenos iniicit: eum naturas duas in
vna persona junctas è virginis utero pro im-
mensa sua sapientia posse producere. Dicant
nobis qua ratione rubus in igne insiolatus
permanserit: & nos dicemus quomodo in
Deo consistat homo. Montem Abrahamus
cum filio conscensurus, asinum in planitie re-
linquit: nec nos hanc sapientie altitudinem
ratione sed fide adsequemur. Vnde non in-
scitè Alanus curiosus de hoc negotio percon-
santibus responderet: Hic

Hic natura filet, Logicæ lex exulat omnia
Naturæ perit arbitrium, ratioq, vacillat.

*Mirabile enim nomen, mirabilis perso-
na, mirabilia opera faciunt, ut Puer hic Mir-
abilis à Propheta appelletur. Quare va-
leant Luciani illi, & Hercules sui partem in
cælo ad Heben, partem in inferno ad Dio-
genem ablegent, corpus autem in Oeta se-
peliunt, atque osores lucis gaudeant tene-
bris cæcorum cæci duces. Nos quidem certè
non nasciturum C H R I S T V M ex-
pectamus, sed natum colimus: & cum Pa-
triarcha scalam non cælum aut terram ten-
tium, sed utrumq, simul extremitatibus tan-
gentem amplectimur. Messiam non aut
D E V M solummodo, ut Arrius, aut homi-
nem, ut Eutyches, sed cum homine Deum
adoramus. Arrident hinc Bernhardi verba,
quæ in vigilia natiuitatis D O M I N I,
sermone 3. talia leguntur: Sicut in illa
singulari diuinitate Trinitas est in pers-
onis, Vnitas in substantia: sic in ista spe-
ciali commixtione Trinitas est insubstan-
tys, in persona vnitas, & ut ibi persona non
scindunt vnitatem, vnitas non minuit
I 4. trinitatem.*

trinitatem: ita & hic persona non confun-
dit substantias, nec substantia ipse dissipant
unitatem. Summa illa Trinitas hanc no-
bis exhibuit Trinitatem, opus mirabile opus
singulare, inter omnia & super omnia opera
sua. Verbum enim & anima & caro in unam
convenere personam, & hac tria unum, &
hoc unum tria, non confusione substantia, sed
unitate persona. Plura hac de re verba fac-
cere omitto: vobis enim certa est, illis inu-
tilis, siquidem erroris itinere cincti ad inte-
ritum voluntarium indefatigato cursu pro-
perant. Ad beneficia venio, quae Pueri nos-
tri natiuitatem comitantur, ea quamvis
tanta sint, ut nullius dicendo vi, in scribendo
copia enarrari satis, ne dicam exornari possi-
sint: breviter nihilominus & quasi summa-
tim precipua comprehendam. Vos quaeso ut
adhuc me attente audivistis, item quae reli-
qua sunt audiatis. Iam ad bona quae nobis
hoc partu parta sunt magis percipienda, re-
cognoscite mecum malum illud, quo antea
gravati eramus, nunc sumus levati. Cum
enim initio DEVS mirando artificio egre-
gium hoc mundi theatrum edificasset, caelum
astris, terram frondibus ornasset, tandem
infecto

in facto homine acquieuit, homine delectatus est, cum homine se & omnia sua communicavit, ab homine coli & laudari voluit. Itaque etiam arbore scientia ipsi interdixit, ut erga se obedientiam cognosceret, de se colendi loquendi occasionem praeberet. Quid multus? vni homini omnia aridebant, fauebant elementa, ipsae animantes eius mandatis parebant: Verum serpens antiquus, architectus sceleris, portentum ac funus generis humani illam Deo voluptatem, homini felicitatem invidit. Pestis enim haec Evam, Eva maritum ad arboris vetitae fructum carpendum impulit. Ita vnus homo, vnum pomum, vna transgressio gaudium & vitam omnibus eripuit, tristitiam & mortem applicavit: atque iste lapsus verè lapsus sanctitatis, ruina iustitiae, sapientiae vastitas, macula virtutum omnium in homine existit. In hac tanta pernicie quo animo Adamus fuerit cogitate. Non enim si debilitata fuit ratio, continuo extincta est: quae nihil nisi aeternae mortis imaginem ipsi obiecit: cum Dei iustitiam, quae inobedientes perire velit, immutabilem esse docuit. Hic quantum queso à desperatione ipsum abfuisse existimatis?

I .

Hoc fui.

Hoc fuit telum quo pectus sauciatur, hoc
fulmen, quo spes omnis vita comminuta
est. Ad huius vehementiam tacuit tellus,
tremuit unda, rerum universitas horruit.
Sanctitas ex hominum mentibus sublata
ceciderat: opus illud quod ad Creatorem
proxime accedebat, totum erat in diaboli
potestate; homo lapsus non paratus erat ad
tantum hostem effugiendum. Cum ergo
neque ipse sibi neque quicquam alius opem
ferre & dare solatium posset: divina cle-
mentia ut huic malo succurreret, permota
est: Tuque sancta Dei progenies ad istum
nodum aperiendum oculos aperuisti; tu inos-
bedientiam obedientia resarciendam, vi-
tam morte comparandam esse docuisti: per
te dulcissima promissio venturi seminis Ada-
mum in tanto timore excepit, diffidentem
rebus suis confirmavit, adflictum erexit,
perditumque recreavit. Facile aestimatis
cum hic sit exorsus beneficiorum, quid de
nostri Regis nativitate sentiendum sit;
qua re ipsa exhibuit, quod tum spe fuit con-
ceptum. Posteaquam enim eadem promissio
aliquoties repetita, & maioribus renas-
vata

vata erat, elapsis aliquot seculis, Filius hie
D E I de caelesti sede in terram sicut plus
via in vultus descendit, novo ordine nova
nativitate generatus. Nam D O M I-
N U S Maiestatis, quem ne totus qui-
dem terrarum orbis capit, à virginis via
saceribus exceptus est & genitus. Eius
igitur dies memoriam nunc alimus, qui se
non fuisset ortus, nihil supererat, quo mi-
nus omnes occideremus. Intolerabilem
Patris iram, qua nos tenebamur, in se rece-
pit: Legis chirographum delevit: vim
peccati compressit, aculeum mortis evellit,
potestatem Diaboli fregit: vitam & ius-
ticiam D E I reparavit: qua quanta sint
beneficia, etsi ipsi intelligitis, tamen à me
in dicendo pratercunda non sunt. Non
enim, si quid ira D E I sit querimus, ta-
lis est qualis solet esse hominum: qua ipsa
tamen ubi primum ardere cepit non fa-
cile deletur, sed ex à quo excitata est,
quantum potest maximum dolorem ges-
sit inurere: Ea est, D E I ira, qua ut
mare immensum efferuescit, qua flam-
ma instar consumit ac devorat: quicquid
offertur,

offertur, cuius adspectu terrentur angeli,
concutitur cælum, quævis animantia conster-
nuntur. Nunquid Dathanum, Abironem &
Choren vivos fundamentis terræ debiscentis
bus esse absorptos dicam: cum civitas 60-
stadiorum ambitu circumscripta cum vicinis
oppidis Asphaltite lacu contegatur? An è sea-
xienties millenis viris solum Iosua & Ca-
lebum in deserto mortem evitasse comme-
morabo: cum unus Noa cum uxore ac filijs
supra orbis terrarum ruina navigaverit?
Quid Lex? quàm dura est? quàm horrida &
quàm adversaria cunctis ac funesta mortali-
bus? cum ne minimum quidem eorum quæ
præcipit, efficere per nos possimus. Accedat
enim aliquis mærore confectus, horroreque
perculsus ad Mosis tabernaculum: parum
profecto recreationis inde secum auferet.
Nam, iram Dei, inquiet, tibi denuncio, cur?
peccasti. at bona etiam egi & perfectam obe-
dientiam requiro. Sed eam nemo potest præ-
stare? Non curo. Omnes igitur homines pe-
ribunt? Maledictus qui non manet in omni-
bus quæ scripta sunt in lege hac. Cur ergo,
quæres, præscripsit nobis legem DEVS, si
nemo hominum satisfacere ei potest? Non
eam

eam ob causam dedit, ut per nos & sponte
mandatis suis obtemperare, & ad volunta-
tem suam dirigere nos vitam posse ostende-
ret (novit enim imbecillitatem nostram &
fragilitatem) sed ut monstraret peccatorum
sentinam in pectoris nostra latebris recondi-
tam. Cur autem maledictionem addidit?
Mens Dei iusta nil nisi iusticiam quaerit: at-
que idcirco nos omnes peccatis polluti, iniu-
sticia sordidi, severissima legis sententia iure
occidissimus, aeternaque damnationis rei in-
terissemus, nisi huius Pueri nativitate esse-
mus servati: qua deleta est macula ista, quam
superiori tempore in Paradiso susceperamus,
qua penitus iam insederat atque inueterave-
rat in generis humani nomine: quod is qui
uno die totum mundum in aeternam mortem
precipitauerat, non modo adhuc poenam nul-
lam suo dignam scelere percepisset, sed ab
illo tempore annos iam plurimos regnaret, &
ita regnaret, ut se non in inferni recessibus
occultare vellet, sed emergere ex isto regno
& in populo Dei, hoc est, in Ecclesiae luce ver-
sari. Posteaquam enim ipsum superbia infla-
tum caelum euomuit, in terram venit, ira &
odio inflammatus, arserunt oculi, totoque ex
ore cru

bre crudelitas emicuit. Sinite hoc loco praeterire me nostram calamitatem, qua tanta fuit, ut non ad gentem aut nationem aliquam, sed ad mortales universos ac singulos promanaret. Non enim ad oblivionem veteris belli, sed ad comparationem novi omne reliquum tempus transtulit: quod cum induere maiestati ac potentia divina non posset, importare ijs tentavit, quos fraudi suae minimè oblituros esse cognoscebat. Tollebat ex hominum animis sanctissimam religionem, ut cultum & honorem Dei tolleret. Instituebat contemptum mandatorum divinorum, luxuriam, avaritiam, rapinas, caedesque nefarias, quae literis exprimi singula nequeunt. Ab eo enim tempore quo Abelem per Cainum in agro furtim obruncavit, quot seditiones commovit? quot bella cievit? Tum verò Ecclesiam universam petebat, templa Dei immortalis, vitam sacerdotum, gregem denique Dei totum ad exitium & vastitatem vocabat, designabat ad interitum unumquemque nostrum. Capti nos omnino & servituti sempiterna eramus addicti. Mors enim peccati, cui nos omnes serviebamus, est stipendium, ex eius
vinculis

vinculis eximere se quis potuisset? Diabolus
homines seducebat, seductos mors occidebat,
occisos inferni fauces concludebant, Innatum
innatum erat atque infixum nobis malum
illud, ad quod declinandum nulla vis, nullum
robur, nulla valebat potestas. Lugente igitur
Ecclesia, mœrente sanctorum ordine, squalen-
te religione, Immanuel noster superavit im-
portunum illud animal, & servitute perrupta
libertatem nobis recuperavit. Quemadmo-
dum enim per serpentis speciem Diabolus
hominem, sic per hominis formam potestate
dissimulata CHRISTVS Diabolum est
aggressus, cepit, necavit. Depingenda qui-
dem hic erat horrenda peccatorum moles,
promenda mortis acerba spicula, tristes infe-
rorum porta reseranda, ut sulphur & ignis,
lamentatio & mœror sine spe, sine fine, sine
modo elucerent. Verùm recordatione horum
malorum adeò moveor animo, adeo toto
corpore perhorresco, ut oculi vultus, verba
cadant. Idcirco ijs omissis ad Regem no-
strum me confero, cuius natiuitas id effe-
cit, ut possimus de omnibus his malis dicere
nullum esse, quod non aut ita sublatum sit,
ut vix exstet, aut ita fractum ut languescat,
aut ita

aut ita mitigatum, ut nocendi vires penitus
amiserit. Cum enim ira Dei leniri non posse
set, nisi satisfactum legi, & mors victa esset,
V E R B V M illud per quod geniti sumus
cum nihil essemus, nos ex Adamo infeliciter
natos denuo nativitate genuit sua. Itaque
etiam hominem in persona unitatem adsci-
vit, ut mortem homo sentiret quod D E V S
non poterat, eandemque Deus superaret, quod
non poterat homo. Minus fortasse splendia-
dum hoc beneficium videretur, si eiusmodi
esset, ut ab alijs expectari idem posset: Iam
cum neq; angeli virtus ad hac, nec nervi ho-
minum valuerint, quis est qui de magnitu-
dine eius dubitet? quis qui non uberrimum
esse statuatur? Angelorum vis magna est, non
nego: natura intaminata, non repugno. at
verò hac mala omnibus fuerunt potiora.
Quod si angelorum firmitudo infirma fuit:
quid effecturus fuisset homo, qui iners &
languidus imo mortuus jacebat. Quotus enim
quisque à parentis malitia deflexit? que
vitiata radice non vitiata semper propago
permansit? Quomodo autem qui mortis reus
est, mortem vinceret? aut qua ratione alios
à peccatis liberaret is, qui ipse peccatorum
pœnas

pœnas luere cogitar? Quod a nemine praestari potuit, ab hoc Rege nostro praestitum est. Hic iustus procreatus est, ut iniustis justiciam redderet. Hic Legis jugum subiit, ut qui sub Legis servitute erant, libertati restitueret. Hic quod in Adamo perditum erat retulit, & Evæ maledictionem in benedictionem salutemq; convertit. **DEVM** immortalem, tantum hanc unam nativitatem potuisse, ut qui antea Dei eramus inimici, nunc simus amicitissimi: & quem Adamus tanquam infestissimum hostem fugit, eum nos tanquam amantissimum patrem compellemus. O felices, qui hoc nomen sibi acquisiverint, ingratos qui profanum fecerint, miseros qui amiserint. Cum enim vires debilitate cessant, cum robur fractum concidit, pallent membra, sanguinis calor in frigus evadit horridum, cum nos mundus relinquit, creatura deserunt, mors cum lege, peccatis, inferno stipata accelerat: cum oculorum acies hebescit, linguae vigor corrui, corpusq; senibus exhaustum morti obicitur: quo fugiemus, nisi frater in Patris domicilium nos receperit? Nulla eloquentia tanta est, quæ primæ creationis munera adsequi aut vehere

K

conve-

conveniente laude possit: attamen hoc affir-
mo, & hoc omnium pace dicam, nullum in his
esse augustius eo quod ex CHRISTI nati-
vitate progressum est. Ponamus ante oculos
qualibet animantium genera: nullum inve-
niemus quod cum homine aut ortus nobilita-
te, aut numero virtutum, aut donorum varia-
erate possit conferri: nec verò ullum, quod
ratione res alias percipiat, oratione proferat,
quod ad imaginem Dei conformatum, ad
eiusque cognitionem destinatum fuerit, qua
quidem si cuiusquam mens aut cogitatio se cap-
turam speret, amens sit. Sed sunt alia maio-
ra. Nam praestantia ista, quam in creatione
homo erat adeptus, ita privatus erat, ut qui
felicitate par erat angelis, idem miseria be-
stias superaret. Etiam si enim vel divinis or-
namentis fuerat praeeditus, damnatum tamen
quovis malo tetrus ipsi impendebat, ut non
immeritò D. Ambrosius se plus debere Chri-
sto dicat, quod sit redemptus, quàm quod crea-
tus: cum testante ipso Christo satius foret
non vivere quàm miserè. At verò haec dona
quibus nunc sumus ornati perpetua sunt, his
nulla unquam afferet finem aetas, haec ipsa
aeternitas semper intuebitur. Quid quod
sine

fine hoc Rege nostro quæ vera salutis via sit
ignoramus? Quæ Dei sint consilia, qui sensus,
nobis demonstratum est? demonstravit Chris-
tus. Caligines huius mundi ac tenebra illa-
strata sunt & illustravit Christus. Expeditum
ad cælum iter patefactum est? patefecit idem
Christus. Nisi temporis obstaret angustia,
densa nox cæle splendore nitesceret: angeli
ab hominibus segregati cum hominibus con-
gregarentur: Deo gloria, pax terra, bene-
volentia homini hac nativitate tribueretur.
Verem contrahenda sunt vela, & quoniam
semihora saltem spacium à vestra humani-
tate petij, ad id festinandum est, quod mihi
extremum proposueram cum de Rege nostro
eram dicturus. Nam cum non solum natus
sed nobis natus sit: quis est ille tam stupidus,
tam omnium rerum ignarus, qui non intelli-
gat se ad immortales gratias ipsi habendas
esse adstrictum? Quod si pro singulis meri-
tis divina clementia devincti sumus: quid
de hoc tam illustri statuemus? quibus laudi-
bus prosequemur? qua reverentia complectemur?
Eduxit nos antea ex carcere uteri
materni: nunc à laqueis Sathana vindi-
cavit. Antea donavit nos possessione

huius mundi : nunc cælestis regni hæreditate, exornavit. Curavit antea ne quid corpora nostra detrimenti caperent : nunc animabus requiem immunitatemque comparavit. Tot beneficia, quorum nonnulla proposui, omisi plurima, si innocentia, si dignitate, si meritis consecuti sumus : non est quod vehementer hinc laboremus. Sin autem illum è cælo in terram, non merita nostra sed peccata traxerunt : ille bonitate ac misericordia incitatus, vitam nobis, salutem orbi terrarum attulit : tandem aliquando nos plurimum ipsi debere agnoscamus. Maiores nostri hanc nativitatem cum gemitu efflagitarunt, cum gaudio futuram sperarunt, cum gratiarum actione celebrarunt. Possent proponere preces eorum religiosissimas, commendationes suavissimas, vitas in spe solius Messie acquiescentes. Ergo illi promissum laudibus extulerunt : nos exhibitum iam inhonoratum relinquemus ? cum præsertim angeli, quorum tamen nihil interest, cælesti domo relicta, in terris hanc rem ut latam viserint, ut gratam honestarent. Si nos fratres nostri hortarentur, ut rem æque sibi gratam quam nobis fructuosam subiremus, ut opi.

ut opinor, ipsorum voluntati obsequeremur.
Nunc nos CHRISTVS qui est communis
omnium nostrum frater, de vita corrigenda
admonet, & gratiam pro oblato beneficio
postulat: huius nos monitis non parebimus?
qui nobiscum sic agit, & Prophetarum Apo-
stolorumque ore loquitur: Nulla salus mundo
contigit sine me, nullum beneficium, nisi per me.
Per me unum effectum est, ut iustitia, liber-
tas, vita, pax in terra florerent: Diaboli fua-
rores, quos nulla ratione frenare poteratis à
cervicibus vestris repuli: fregi impetum
dominantis, cuius vix iam sustinetis furias
iacentis: Ego me pro vobis tradidi, Legem
expiavi, Patris iram sedavi: omnia mea
bona vobis exposui. Quid iam restat? quid
habeo? quid dicam? quid faciam amplius?
nonne his omnibus tantum effecero, ut in
omni hominum cœtu gratis agendis lauder?
Non aris acervum a vobis, non auri pondus
expeto: non hircorum taurorumque sangui-
nem mihi primum cupio: Quid enim aurum
desiderio teneat, qui montes atque adeo qua-
cunque metalla condidi? aut carnis, qui ma-
nibus meis omnem carnem sustineo? In ani-
mis vestris omnes triumphos meos, ornamenta
K 3. honoris

honoris, laudis insignia condi & collocari volo.
Psallite nomini meo : voluntati satisfacies
mee. Suscitari vos finite à pravis actionibus,
& à me cū Iudex rediero suscitabimini Gra-
tias mihi in hac vita agite, & in aeternū me-
cum viventes ageris. Quando igitur Medi-
ator noster pro summis beneficijs, pro ineffa-
bili charitate, pro servitute gravissima, pro
que hac qua nos beavit felicitate nihil aliud
postulat: agite mentibus nostris huius tempo-
ris memoriam insculptam retineamus, & cum
Magis ad cunas ipsius procedamus. Ad te
ergo convertimur generis humani Conditor
ac Redemptor Dei simul & virginis Fili
IESU CHRISTE, tibi laudis hostiam
offerimus : tibi gratias agimus quantas ani-
mo concipere, lingua proferre possumus ma-
ximas, qui verus Iusticia Sol exortus, tarta-
ream peccatorum nostrorum caliginem dispu-
leris, diem verè alnum reduxeris : qui incom-
prehensibili tua misericordia incomprehen-
sibilia beneficia nobis largitus sis. Per hoc ad-
dorandum restorationis nostrae mysterium,
per incomparabilem charitatem, qua te à sin-
u Parentis in gremium virginis, ex arce cæ-
ci in hanc lachrymosam exilij nostri vallem
deduxit

deduxit, rogamus, ut nos qui iure tui sumus,
amore etiam tibi indies magis magisque adse-
ras, & quod finxisti opus resingas tuum. Efa-
fice pro incredibili tuo in nos amore, ut tu
quoque unus nobis dulcescas, unus sapias, te
uno nos delectemur, te unum admiremur ac
deamemur. Et quoniam Diaboli nos semper
circumstant insidia, exurge quasumus Leo
invictissime de tribu Iuda, & quem non tibi
sed nobis devicisti rugientem leonem com-
pescere, ne ves tuas cruento ore abreptas di-
laniet. Denique quia iam superior annus ef-
fluxit, novus prodire incipit, renova animos
nostros spiritus tui radys, ut abiecta impie-
tate pristina vita novitatem induamus.
Quod si ut nunc anni, ita post hac vita nostra
tempus cursum suum absoluerit, confirma nos,
ut quem alij sibi horribilem, eum nos fan-
stum nobis diem putemus, & cum Simone
tua presentia recreati in animi tranquilli-
tate obdormiscamus, atque e custodia emissi
in aeternam istam domum, quam nobis nativi-
tas tua aperuit abeamus, ibique te cum Pa-
tre tuo & sancto Spiritu sempiterna
laude celebremus,

D I X I.

R 4

VIRIS

VIRIS

Dignitate reverenda
Doctrina excellenti
Humanitate singulari
Præstantissimis.

Dn. D. ANDREÆ VVEN-
CELIO PASTORI ECCLESIAE,
Professori Academiae cele-
berrimo:

Dn. D. MICHAELI BOLFRASIO
Syndico Academiae clarissimo:

Dn. M. VALENTINO PISTORIO
Archidiacono fidelissimo:

Dominis & fautoribus meis
observandis S. P.

CALEB TRYGOPHORVS




DEnuo in lucem ha orati-
uncula mea prodeunt, &
ad vos, Viri praestantissimi,
fautores honorandi redeunt;
ut vultu, sic animo in vos &
cultu eodem. Vos quaeſo hac gra-
ta & amicae mentis ^{σύμβολα} non
minus quam antea familiari-
ter accipite, auctori non minus
quam antea amicè favete: &
quod reliquum est, unà cum
omnibus vestris diu feliciterq;
valete.



K 5.

ORA.

ORATIO SEXTA.

 *Q*uod eo tempore cum
provincia scholastica praeficerer
à Deo Opt. Max. Patre Domini
ac Redemptoris nostri IESU CHRI-
STI precatus sum, ut si ad divini nominis
gloriam amplificandam, si ad juventutis stu-
dia provehenda labores susceperem; laboribus
quoque meis divini favoris aura adspiraret:
hoc cum non omnino negarit divina clemen-
tia, tantas ei, ut debeo, ago gratias, quantas
animus meus concipere potest maximas. Nam
neque corporum imbecillitas studiorum cursum
interrupit, nec rerum necessariorum inopia
prorsus impedit, nec quod maximum est, ope-
ra nostra, quantum ego quidem conicere pos-
sum, fuit irrita. Quanquam enim in hac
schola degunt, & in his ipsis parietibus con-
tinentur, quibus licentia quam legum potior
est ratio, qui curationem corporis non ad sa-
nitatem referunt, sed ad voluptatem: tamen
est contrario vultu literarum amore in-
flammati

flammati praeceptorum monitis obedire, &
rebus suis consulere student, quibus supina
illa & agrestis negligentia odium est, amor
autem cum animi attentione coniuncta pica-
tas. Quod quidem ut per se laudabile est
mihiq; gratissimum; ita ut diligentiores quo
cæperunt modo pergant, negligentiores au-
tem de somno excitati ceteros consequantur
opto, & qua par est diligentia ac fide moneo.
Atq; ut hoc facilius impetrem, nonnulla de
ijs literis quibus hac recta initiata atq; conse-
crata sunt, in medium proferre decrevi: ut
quid ex eiusmodi molestijs, quæ in scholastico
pulvere decoranda sunt, commoditatis emo-
lumentiq; sperandum sit, optima & purissi-
ma hominum pars, hoc est, flos pueritia co-
gnoscat, maioriq; ardore ad colendas artes
rapiatur. Etenim si rerum belluarum studio-
sus laus victoria; futurum athletam agili-
tatis commendatio; aliarum artium tyrones
earum rerum in quibus exercendi sunt praæ-
conia stimulorum instar concitant, & contra
erruentium hinc inde difficultatum impetus
armant: quanto nos magis convenit, in hoc
sapientia templo virtutumq; officina, suscipe-
re studiorum illorum causam, quæ nunquam
tanto

tanta laude celebrata sunt, ut non semper
maiori digna viderentur? Nec verò metus
endum mihi puto, ne inanis hac & supervacua
liberalium artium censeatur commendatio,
in qua, si numerum spectes, plurimi, si inge-
nia, acutissimi; si doctrinam, eruditissimi
viri elaborarunt: dum modò consilij mei ra-
tiones teneantur. Nam cum omnium bono-
rum auctor Deus pium urbis nostra magi-
stratum in eam mentem impulerit, ut Scholae
curam amplitudine sua non indignam existi-
met, sed quantum fieri potest ludi literarij
rationem habeat, aedificiumq; novum nova
iam cathedra donarit: nihil mihi visum est
commodius, quam si quarum artium tracta-
tioni destinata ac devota est, earundem lau-
dationibus inciperet personare. Illud potius
verendum mihi est, ne quos adesse video vi-
ros praestantissimos, literarumq; amantissi-
mos, oratione parum conveniente offendam,
siquidem qui artibus bellum indixerit video
neminem: non neminem autem, qui ipsarum
utilitatibus parem orationem inveniri posse
neget; ut nihil aequè pertimescendum sit ac
laudatoris infantia. Verum quoniam vela
jam expassa sunt: à cursu instituto recedere
non

non licet, priusquam quo intendi perveniam.
Quamobrem clarissime domine Rector, do-
ctissimiq; & humanissimi domini Collega, lar-
gimini hoc vel mea erga vos observantia,
vel vestro erga literas amoris, ut ne benigni-
tas vestra me deficiat, sed venti secundum in-
star adspirans in portum optatum deferat.
Vos autem adolescentes dilecti, animum ve-
strum erga praeceptorem & liberalia studia
attentione, attentionem silentio comproba-
te, non vos milium, quod aiunt, cerebrave
agnoscetis, qui sub signis nostris merentes via
galias ac labores toleratis. Agitur enim hic
salus Ecclesiae, quae & opem hinc & ornamen-
tum expetit. Agitur fundamentum Reipub,
quae servatis artibus stabit, ijsq; sublatis eo-
dem labefactata motu concidet. Agitur com-
modum ac decus nostrum omnium, qui sine li-
teris non modo felicem, sed ne hominum qui-
dem vitam agere possimus. Enimvero nulla
est ab omnium rerum conditore profecta
res, quae non suum usum obtineat: nulla ho-
minum conditio quae si officio recte funga-
tur, colere Deum & res ipsi praestare gratas
nequeat: attamen hoc affirmare licet, &
hoc pace dicam omnium, nullius rei ad conser-
vationem

vationem religionis usum magis esse necessarium, quam qui ex artibus emanat. Aperiamus sacram istam arculam, quae verba ex divino ore humano generi revelata continet; videamus quam macularum expertes thesauri illi afferentur & exponantur. Putabimusne futurum fuisse, ut hac doctrina adeo incorrupta ad fines nostros adpelleretur, nisi tot artibus tanquam satellitibus atque administris stipata divinitus esset proveccta? Credisne sensum scripturae tanta & tam ardua in his praesertim nationibus florere ita potuisse ut nunc floret, nisi linguarum cognitio illius cognitione nos imbuisset? Nā quo ad longissimè potest mens nostra respicere initia divini dogmatis, id non eo quo nos, sed quo Iudaei utuntur sermone prolatum esse videt, ac literarum monumentis traditum. Quis enim est ille tam sacrae historiae ignarus qui nesciat tum demum linguam nostram vernaculam cum plerisque alijs & natam & propagatam esse, cum ad turrim Babylonicam multitudo operariorum confusa dissiparetur, & ceptum ab hominum temeritate opus, divina sapientia impeditum cessaret. Ex quo nemo est tam stupidus rerum estimator, qui non intelligat

relligat ijs tantummodo vaticinationes de
Messia promissionemq; redemptionis nostrae
notam fuisse, quibus hac lingua relicta erat,
in solis Hebraeis fontibus salutem latuisse
omnium. Ea autem quod ad nos etiam deri-
vata est, quod tam veteris testamenti imaa-
gines, quam novi res gestas nostro etiam sero-
mone expressas legimus; quod uno ore Dei
clementiam fatemur, misericordiam cele-
bramus, merita canimus; quod genuinum
scriptura sensum discere ab alijs, eundemq;
docere alios possumus: totum hoc arti illi ac-
ceptum ferendum est, cuius scientiam ac fa-
cultatem Dei spiritus in Apostolos verbi mi-
nistros effudit, quam si qua futura est posteri-
tas alet, quam ipsa aeternitas semper vene-
rabitur. Sunt haec insignes huius artis coma-
moditates: quid cetera? nunquid & eas sa-
crorum postulat administratio? admodum
scilicet. Non enim eam ob causam divina
miracula ac leges data sunt, ut verba tantum
pateant, ac nudè omnia narrentur: sed ut
exacuantur ac sedulo hominibus inculcentur.
In huius autem negotij societatem sese non
offerunt praecepta Grammatices, sed suis limi-
tibus contenta interpretationes vocabulorum
sibi

sibi vendicant, quae praeterea requirunt alijs
artibus peragenda committunt. Succedit
igitur ea quae quomodo docendi sint homines
profiteretur, quae orationis instituenda viam
monstrat, quae quid necessarium, quid inutile,
quid consentaneum, quid repugnans sit certis
rationibus adprobat. Etenim non in Philoso-
phia solum principia sunt natura, ex quibus
certa quadam & immota demonstrationes
nascuntur: sed Theologia etiam quampluri-
mas propositiones habet, quae Dialectica con-
clusionis opera indigent. Non lubet hoc loco
referre, quoties animi nostri horrendis cogi-
tationum fluctibus obruantur, & modo ab
imbecillitate carnis, modo a Diaboli importu-
nitate ad desperationem gratia, misericor-
dia, vita aeterna abripiantur: e quibus omni-
bus procellis quisnam evadere incolumis pore-
rit, qui non artem rationis ad demonstnan-
dum in sacro flumine portum adhibuerit?
Quid in ipsis hominum mentibus? quanta
saepe durities, quanta deprehenditur pertinacia?
quae si ad pietatem incitari, ab impie-
tate revocari debent, is meo quidem iudicio
parum efficiet, qui non ita instructus tum
Dialecticatum Rhetorica praceptionibus ad
expugnandas

expugnandas eas accesserit, ut argumentis
urgeat, eruditione perstringat, eloquentia
rapiat? Multa saepe ac horrenda tempe-
states aduersus caelestem hanc doctrinam or-
tae sunt, saeuissimi venti ad euertendam eam
excitati, à quibus tamen non modò non op-
pressa, sed etiam erecta est, & contra o-
mnium errorum turbines firma stetit, &
quasi altis infixis radicibus euelli nunquam
potuit, nunquam dimoueri loco. In his o-
mnibus ita semper existimandum est, fieri
non potuisse, ut aut p̄ omnes in articulis
fidei consentirent, aut tot hostium copias
vincerent, nisi haec ars tanquam armigera à
Prometheo seu Moyse, imò ab ipso Deo pro-
dita, sagittas è Bibliorum pharetra depro-
mptas in aduersarios deflexisset, & impe-
tum ipsorum tanta uehementia retardasset.
Videtis, ut opinor, quàm latus mihi de usu
artium in Theologia dicenti campus aperiat-
tur, si in singulis insistere atq; immorari
vellem. Verum me ipse continebo, & si in
alterutro peccandum est, coarctasse nimis
videri malo, quàm ultra modum dilatasse.
Nam in omnium omnino artium contempla-
tione nullam reperiemus, quae non peculiare

L

quoddam

quoddam officium in exquisita Theologia
tractatione obtineat. Cantibus & hymnis
celebrandus Deus est? modum nobis iucunda
da tradit Musica. Mira in operibus diuinis
prudentiã non exploranda minus quã ad-
spicienda est? astrorum certè ratio & natu-
ra rerum animo comprehensa non infirma
locum obtinet. Itaq; etiam illa ipsa artes ab
Ecclesia patribus tanto labore inuenta sunt,
tantoq; studio ad posteritatem delata. Nam
si cogitationes nostras dirigimus, ut, qui
nam primi auctores sint experiamur, non
Platonem potius quã Adamum, nec tam
Aristotelem quã Sethum, neq; Prolomæum
magis quã Abrahamum parentes earum
inueniemus. Huius rei veritatem testibus
quis confirmandam putat? Est auctoꝝ vir
omnium rerum peritissimus Iosephus, qui has
artes à maioribus propter duplicem mundi
ruinam quam ex astris animaduenterant,
ante eluionem duabus columnis incisas fu-
isse commemorat, quarum altera ab igne,
altera ab aqua eas tutaretur. Est Psalmo-
graphus regius, qui Iosephum Patriarcham
primores AEgypti ad moꝝ suum instituisse,
senioresq; sapientiã ab eo deportasse cecinit.
Est

Est omnium sapientissimus Salomon, cuius
splendida pariter & acuta disputationes fe-
runtur de arboribus, de fluminibus, de animalibus ac
bestiis. Est iterum ac sapius Iosephus qui
Abrahamum in Aegypto Arithmeticam &
Astronomium publicè praelegasse scribit, un-
de in Graciam quoque sint prolata. Illi autem
maiores nostri pro sua insigni prudentia pro-
cul dubio tantam diligentiam in his artibus
non posuissent, si minus utiles eas Theologia,
quam solam profitebantur, essent arbitrati.
Videamus ergo num resistere ijs possimus,
qui D. Pauli auctoritate armati nos adori-
untur: quòd Collossenses suos ut à Philoso-
phia sibi caueant hortentur. Hoc enim telo
in artes immisso, profligasse omnes sibi vi-
dentur & è sacrorum territorio deturbasse.
Verùm plaga ita vehemens non est, ut
maturiore iudicio, sanari nequeat. Ina-
nem enim Philosophiam, seu Philosophia ab-
usum, cum Apostolo omnes pijs meritò sper-
nant, damnant, reijciunt, exterminant:
Neque enim negari potest, quod est luce
clarius, multos ante haec fuisse & esse adhuc;
qui artibus ad errores suos contegendos ab-
utantur; Sed quoniam nil prodest quòd non

ludere possit idem: hinc non conuincitur, ut
hominum crimen artibus sit criminofum.
Nisi forte ipsi sacra scriptura maculam inde
aspergi volumus, quod ad veneficia. & can-
tiones à nonnullis abripitur, & subinde ad
hereses defendendas detorquetur. Quod
si Paulus mandato suo artes Theologia sine
discrimine abiudicat, se ipsam quoque abdi-
cet necesse est: siquidem & probè in ijs
versatus est, & easdem non raro ad rerum
sacrarum administrationem adiunxit. Pos-
sum proponere Strabonem historiographum
ipsi fere coaetuum, patriam Tarsum Alexan-
driae in Aegypto, Athenis in Graecia cete-
risq; urbibus scholarum celebritate & cultu
artium praferentem. In qua non est cre-
dibile cum frequentissimi ciues literas am-
plexi sint, rarissimi extranei: Paulum sum-
mis naturae dotibus ornatum, & doctrinae
cupidissimum, alijs scientiae gloria cessisse.
Poetas sane ipsi familiarissimos fuisse tes-
tantur versus ab eo citati, Menandri qui-
dem in Epistola ad Corinthios, Epimenidis
ad Titum, Arati in actus. Quid quod Epi-
scopum vult certi sermonis tenacem? qui &
ipse recte sentiat, & alios commode doceat,
hæreo

hereticosq; confutet. Non ergo prohibere
artes vult ne sacris seruiant, sed cohibere
ne imperent: Id quod D. Basilius sapien-
ter ac venuste declarat, cum Theologiam
fructibus, Philosophiam folijs comparat.
Quemadmodum enim fructibus folia, ita
sacris rebus artes ornamento sunt ac decori.
Quo imprudencior etiam eorum foetida &
hominibus barbaris digna videtur oratio,
qui negant purum sermonem & elegantem
in literarum sacrarum doctore esse requis-
rendum: quod fucus & cincinni probam
virginem, vestis multicolor honestam ma-
tronam dedecoret. quasi verò hoc à nostra
sententia abhorreat. Fucum equidem in
sacris & leuitatem nolumus: at quae per se
purissima grauissimaeq; sunt, ne sermone sordido ac salebroso inquinentur deprecamur.
Quod si, ut asino cuculi clamor, ita ipsis hi-
ulca arridet oratio, fruantur sanè suis bonis
modò ne alijs luscinia modulationes inuide-
ant, nec ipsum Dei spiritum in leuitatis cri-
men aut fucandi suspicionem trahant: qui
Prophetarum scripta tot verborum lumini-
bus; tanto saepe sententiarum lepore pinxit,
ut nullius vnquam eloquentia eam superâ-

rit. Neq; enim propheticus sermo sine gra-
uitate, sine concinnitate, sine elegãtia stagni
in morem torpet, sed tanquam è fonticulo
limpidis aquis grauo murmure perstreptenti-
bus profluit: interdum etiam sumit ampul-
las, ut cum Poëta loquar, & vel in tragicam
vsq; vociferationem efferuescit, tonat fulmi-
nat. Consideretur ipsum exordium Esaiæ,
quàm sublimi elegãtia ornatum sit. Audite
inquit, cæli & auribus percipe terra, quia
Dominus locutus est. Hæc mihi profectò non
vulgaris videtur oratio. Quomodo enim
cælum ac terra aures erigere & recipere
sonum possunt, cum ijs careant? Ac ne mul-
tus sim, vniuersi scripturæ agelli à cælesti co-
lono consiti troporum ac schematum, atq;
adco omnium ornamentorum vbertate flo-
rent. Ut nemo mirari debeat, cum verbum
diuinum perpetuò duraturum sit: literas
etiam, quibus tantoperè eget, in tanto præ-
sertim vulgi contemptu odioq; consistere. Qua-
cum ita sint, videte quæso quantæ impietatis
notam subcat is, qui artes liberales non mo-
dò non conseruandas tanquam necessarias
astimat, sed etiam reiciendas tanquam ins-
tiles contemptasq; disputat. Hoc enim Dei
donum

donum vituperare nemo potest, quin idem
Deum maneris auctorem summis contumelijs
afficiat. Pro negotij dignitate pauca, pro
temporis autem ratione satis multa verba fe-
cisse videor, quare ad rerum sacrarum ex-
plicationes artium studia requirantur: restat
ut de Repub. quid ad eius emolumentum
conferant dicatur. Cuius verò ea est inge-
nij facultas aut lingua vis, qui enarrare se,
non dicam exornare, laudes literarum in
Repub. posse confidat? Nam ut ab ipso capi-
te fiat initium, quid est quod Reipub. magis
necessarium sit, quàm magistratus prudentia
& aut optatus, quàm humanitas? Ecquis
autem invenietur, qui non ex his fontibus
ea hauriri dicat & sentiat? Quanquam
enim natura dona hac in re plurimum va-
lent, sine quibus ad illustrem gradum vix ul-
lus ascenderit: hoc tamen infirmari nequa-
quam potest, aut artes has esse è quibus pru-
dentia comparetur, aut res omninò nullas.
Quid enim pari felicitate erudire aliquem
ad capeffendam Rempub. & instruere ad
eam rectè gubernandam possit, atq; clarissi-
morum virorum prudentia? At verò omnia

prudentissimorum hominum facta, omnes
clarissimorum regum res gesta iacerent in
tenebris, nisi literarum lumen eas illustras-
set. Omittam ea, quae in sacris leguntur
de Iosepho, de Dauide & alijs: si eorum scri-
pta qui patrie nostrae aetate, qui descriptio-
nes temporum, qui maiorum sapienter di-
cta & facta commemorant, ignauam etiam
naturam ad excellentes actiones excitare
possunt: quid in heroicis ingenijs praestitura
putabimus? Adducitur mihi hoc in loco à
Pindaro Bellerophontis Pegasus Palladis fre-
no aureo domitus, qui erudite fictus verita-
tem praese fert, elegantissimeq; demon-
strat. Quemadmodum enim ferocitatem
eius capere nemo praeter Palladis frenum po-
terat: ita cor humanum contumax, effres-
ne, indomitum, nunquam feliciter curatur
quam si per doctrinam ratio ipsum coerceat.
siquidem

didicisse fideliter artes
Emollit mores nec finit esse
feros.

Hinc Hercules ingenio praestans, corpore ro-
bustissimus, Musicam didicit. Hinc Home-
rus

rus

rus in Achillis clipeo Solis ac Luna cursum
depinxit. hinc ingeniosissime dicam an
felicissimus Alexander non primas tantum
litteras, sed uniuersam Philosophiam euoluit:
quorum omnium non magis seueritatem suba-
diti timuerunt, quam mansuetudinem dile-
xerunt. Non difficile mihi foret, inte-
gram manum colligere eorum quibus litera-
rum studia humanitatem, humanitas sem-
piternam laudem peperit: sed unus Bias
nobis fuerit loco omnium, qui quoties capita-
tem sententiam tulerit, lachrymas profu-
disse dicitur. qua de re interrogatus: tri-
bus, inquit, legibus suum calculum, natura
verò commiserationem societatem aegritudi-
nis, O diuinam virtutem, licet nonnulli
eam respuant. Quid insontes apud hunc
potuisse statuemus: cum sceleribus polluti,
lachrymarum vim excusserint? Quare da-
bimus hoc oratori, multos sine doctrina na-
turam ipsam secutos multa laudabilia presti-
tisse, sepiusq; ad laudem atq; gloriam natu-
ram sine doctrina quam doctrinam sine na-
tura valuisse: sed ita tamen dabimus, ut
quoniam in vita hominum tanta est prau-
tas, tantiq; errores: ex magistrorum voce

veritatem vanitati, & opinioni confirmata
a naturam cedere nobis relinquatur. Iam
verò quàm non deiciens solùm & honesta, sed
utilis etiam & necessaria in Repub. res sit
eloquentia, quanquam omnes intelligunt, à
me tamen hic prætereundum non est. Ego
enim sic existimo, & res ipsa docuit, sæpe quo
gladij ætes non potuit, orationis penetrasse
acumen, ac maiestatem in dicendo plus va-
luisse, quàm in puniendo vehementiã. Quid
in imperio aliquo feliciter sine auctoritate
efficitur eius qui imperat? quid verò ma-
iorem parit auctoritatem, quàm si quis ita
flectere vulgi animos novit, ut frangentur;
ita verborum fulminibus terrere, ut conti-
cescant, ita sermonis vi capere, ut assentian-
tur? Talis enim vir & privata civium dissi-
dia componere, & publicas decernere causas
optimè posse videtur: cui convenit illud viri
gravis, quem, ut Philomela latina canit:
Si conspexere silent arrectisq; auribus ad-
stant. Et certè asini non hominis nomine
dignus est, qui fustibus potius & flagris
adigendus, quàm verbis & sermone ad offi-
cij cultum invitandus est. Possumus ergò
constituere quid de literis sentiendum sit,
qua

qua tam belli quam pacis tempore Rempub.
sustinent. Nam si constituenda sunt iudicia,
facienda leges, propaganda virtus, tollenda
vitiolorum lenocinia: quid ea arte nobilius,
qua quid expetendum fugiendumque sit ex-
plicat? qua certa quadam officia singulis
prescribit, qua docet quid adolescentiam,
quid eam aetatem que constans dicitur, quid
extremam etiam senectutem deceat: quid
si aut domi agatur quippiam, aut foris cum
alio contrahatur faciendum aut omittendum
sit: quomodo pauperi ferre paupertatem,
diviti diuitijs uti conueniat: qua regulas
inter patrem & filium, preceptorem ac
discipulum, dominum ac seruum obseruandas
stabilit. Equidem quoties animi oculis lu-
stro (cogitationes enim liberè quacunque
volunt sic intuentur, ut ea cernimus que vi-
demus) sed quoties mentis acie adspicio il-
lam in qua quondam maiores nostri vixisse
dicuntur, barbariem: dum magistratum à
vulgo remotum, munerum distinctio-
nem sublatam, passim more bestiarum
homines errare, quidvis impune agere
fingo, nescio quomodo semper totus exhor-
resco: quando autem futurum fuisse cogita,
v8

ut longe aliter id factum nos afficeret, quod
fictum inani cogitatione sensus percutit: cur
non artes in longe maiori sint existimatione
demiror, quarum beneficio, homines mutuis
officijs deuincti, morum elegantia mentes
instruunt, feritas ex animis eiecta atq; ex-
terminata est. Sed si placet orationem ad
belli turbas auocemus. Neq; enim litera pacis
tantum & toge in praescribendis officijs socia
sunt: sed in bello etiam atq; armis pluri-
mum solatii praebent. Quamuis enim leges
inter arma sileant: illud tamen fatendum
est, bella pleraq; non tam corporis quam ani-
mi viribus confici, artiumq; usum praecipue
ad ea efflagitari: cum ex literis multoties
consilia hostium euentusq; pugnarum pate-
ant: cum saepe labantes exercitus erudita
oratione erecti sint, saepe fugientes a cursu
disertorum voce reuocati. Quam inuicti
robore erat Achilles, qui toties socios, toties
deterruit hostes? Non huius autem Graco-
rum dux Agamemnon, sed Nestoris decem
similes in expugnanda Troia exoptauit.
Quamobrem sint in Republ. accepti y, qui in
adportandis rebus ad corporis usum necessa-
rijs occupantur: Ferantur qui agros colunt,
&

& frumentis vitam alunt: Praemiis ora-
nentur qui corpora hostibus obijciunt: in om-
nium horum numero, si recte iudicare vo-
lumus, maximam laudem obtinebunt magi-
stri artium, qui animum salutari doctrina
instruunt, hominum mentes sapientia excos-
tunt, iter ad prudentiam victoria maxime
adoneans aperiunt. Licetum est singulis,
de utilitatibus etiam reliquis hic meditari,
& in his de eorum operibus qui rerum prin-
cipia & causas tractant, qui latitudinem
terrae & ambitum describunt, qui certis
temporum metis nos annisq, includunt.

Mihi enim recedendum est, ut tandem ali-
quando ad eam orationis meae partem perue-
niam, quae ultimo loco mihi fuit proposita,
cum de literarum studijs eram dicturus.

Nam ut publicis, ita & privatis rebus ma-
xime inserviunt. Sive enim utilitatem
spectamus, sive dignitatem, sive etiam vo-
luptatem, omnibus his abundare artes cer-
nimus. Atque ut hoc rectius intelligatur,
conuertamus nos ad quorumlibet ordinum
homines: neminem cur honestas cordi est vi-
demus, qui non in peculiari quodam negotio
vitam transigat: siquidem ut aures ad vos
landum,

landum, equum ad currendum, ad arandum
bouem, canem ad indagandum, sic ad labores
exantlandos hominem diuinum destinavit
iudicium. In omnibus autem excellunt ij,
quorum opera victus nobis caeteraq; suppe-
tunt, quorum utilitatem cuiusquam mens
aut cogitatio capere vix potest. At verò
sunt alia maiora. Nam si duæ potissimum res
homini contigerunt, quibus à brutis differat,
ratio & oratio: eæ autem ab his artibus ex-
poliuntur & confirmantur: quid dubita-
mus? aut cur non duce recta ratione hæc stu-
dia tantum omnibus reliquis studijs antepo-
nimus, quantum corporis vires à virtute
animi superantur. Quia quod harum artium
cognitione & assidua imitatione homines eò
perueniunt, ut res secundas modeste, aduer-
sas fortiter ferant? Cum enim pleriq; qui
antea commodis fuerunt moribus, imperio,
potestate, prosperis rebus immutentur, &
quàm difficile sit aqua commoda mente pati
edocent: litera tenent rectam in omnia
frontem, & ne decorum transiliatur ex-
cesso inuictòq; animo propugnant. Fortuna
vultu blanditur: constat, inquiunt, aeterna
positum

positumq; lege est, ut constet genitum nihil.
Ab excelsis ad ima præcipitat: ita ascendit
ut semper descendendum mihi putarim.
Opes aufert: utendas accepi; tollas licet
quod dedisti. Mortem intentat: vixi &
quem dederat cursum fortuna peregi. Quid
mirum si qui ducibus literis in hac vita scena
incedit, sibi omnium animos maximo amore
benevolentiaq; devincit? cum imbecillitatem
ponderantes ab ambitione nos auellant, ex
diverso autem dignitatem commonstrantes
ad virtutem attrahant. Quando enim sta-
bile & firmum permanere non posse conuin-
cunt, quod fragile & caducum imminere
sibi sentit interitum: absq; negotio superbia
flatibus positis sedatam humilitatem intro-
ducunt. quo quid utilius? quid ad concili-
andum amorem aptius? Superbiam Deus
exsecratur, angeli fugiunt, ipsa demq; ho-
minum societas odio prosequitur: at verò
amatur virtutis penus modestia, que superis
probat, ab inferis colitur, qua coniunctos
hominum animos fœdere roborat, connectitq;
mutuo amore dissolutos. Quid libido?
quàm astute animis nondum consilio firmatis
vias

vias prae lubricas, quibus insistere sine pro-
lapse & casu nequeunt? imo quod incen-
dium tantas strages ediderit, quantis obscen-
na voluptatis eluio? cui nec iuvenile robur
nec senilis resistere valet prudentia. Quid
vero artes? nunquid & ipsae sunt supplices?
absit. Ad harum enim aduentum Cupido
contremiscit, arcus concidit, fax exstingui-
tur, omnis laedendi occasio perit. Longe e-
nim alios concitat motus, dum animi excelsa
lentiam hominibus occidit: Praeclarum cae-
lam, praeclara terra, sed praeclarior hominum
animus, qui ad Dei imaginem proximè ac-
cedit. Diuinus est: diuino munere digna
praestet. Omnia quae in rerum natura ex-
tant subiecta ei sunt: ad omnium cognitio-
nem peruenire properet. Ad hoc autem
non otium sed negotium, idque non exiguum
requiritur. Nisi forte inanem ludum exis-
tiamus veritatis indagationem, falsitas
deprehensionem, rei dubiae certam con-
clusionem: cum praesertim & artium ignari
aliquid dijudicent. Iudicant autem & imo
aliquid, ut dixi, non omnia: & quod affe-
runt nullis fundamentis nititur, cō quod in
rationis gubernatrice Dialectica non sunt
exercitati.

exercitati. Ne quis obsecro si illud rationis
efficere lumen cernit, hoc minus in artibus
elaborandum esse arbitretur. Nam perfecta
dyudicatio arte, ars labore comparatur.
Quando autem hac una facultas tanto fido-
re constat: quid si omnium non dicam ver-
sanda penetralia, sed vel vestibulum intro-
spiciendum est, nunquid animo ut se deliciis
languori, desidia dedat permittetur? Non
ergo dominari hac in re libido potest. Vbi
enim locus socordiae non est, ibi cupiditas im-
moderata esse non potest. Neque enim auste-
ritas eorum me commouet, qui artium studia
adolescentibus laxare frenum non cohibere
clamitant: idque ex eo colligunt, quod plurimi
qui literarum cultores sese profitentur, adeo
immoderate viuunt, ut ipsorum petulantia
cum reliquorum certet audacia. Etenim
quanquam non continuo artes ex feris homi-
nes, ut poculum Circaum ex hominibus feras
faciunt, sed omnium frugalitas optanda pos-
tius quam speranda est: non tamen ex eo
consequitur, ut artibus vitium illud impu-
tandum sit, quippe cum ne diuinum quidem
sementantam vim habeat, ut in omnibus ag-
ris eadem fertilitate fructum proferat.

M

Illud

Illud quidem affirmare licitum est, eiusmodi ingenia quae in artium cultu vitiorum se illecebris dediderunt, extra literarum studia in extremam insaniam fuisse ruitura. Quid enim ibi agerent, ubi nulla est humanitatis ratio, quae ferociam compescat & reprimat, ad mitiores affectus incitet atque impellat? nullum virtutis gymnasium quod abstinencia adsuefaciat, vitiorum sentinam in pectoris recessibus absconditam exhauriat? Magna antiquitatis sapientia in rebus singulis, tum summa in fabularum compositione elucet: quae ut legentem pulchritudine oblectat, ita meditantem de utilissimis rebus erudiunt. Quid Iasonis illa ad aureum vellus profectio? an non ad felicitatem veram iter elegantissime denotat? Quemadmodum n. suscepit ille expeditionem non longinquam modo sed & periculosam, neque tamen potiri vellere poterat, priusquam pharmaco ex Promethei cruore Draconem ignes & fulmina noctes diesque spirantem consopisset: ita nisi cordis nostri affectus hoc quasi artum medicamento sopiantur, ad beatitudinem nunquam perueniemus. Doctrina enim recte rationi mixta sanguis ille est, qui simul ac Draconem in nobis tumultuantem attingit, non iam ira nos agitat, non odium mas

cerat, non dolor conuocit: sed quicquid tur-
binis mentem percellat componitur, quietiq;
ipsa redditur. Quod si uilitatum, quarum
multas iam ante notavi, plures omisi, nihil ab
artibus expectandum esset: dignitas sanè
nobis ad amplectendas eas satisfaceret; qua
tanta est, ut nō obscuro tantum genere natis
ornamento sit, sed nobilissimum quemq; ma-
ximè decoret. Ita nō à peritissimis hominib.
accepimus, mercaturam, quæ omnium actio-
num celeberrima est, aut si tenuis sit liberè
sordidam, aut si ampla, multis fraudationis
suspicionibus esse expositam; quorum in hoc
nostro artificio nihil est. Quis clarus unquā
vixit, quem nō literarum dignitas exuerit?
cuius nomen non idem tumultus qui corpus
contexit, qui non literarum beneficio conser-
uatus sit? Quod nisi Cato sensisset inferior,
tanta doctrina cupiditate non flagrasset, ut
ne in Curia quidem dū conueniret senatus à
Græcorum librorum lectione abstineret. Ne-
que oratorum Græcia princeps contra ipsam
naturam quasi pugnam iniisset, cum literarum
pronunciationem ab ea sibi denegatam la-
pillis ac vi expressit, infirmitatem late-
rum labore, tarditatem lingua calculis

sustulit, ex inepto matris Demosthene, aptis-
simum industria Demosthenem produxit.
Iam si forte quispiam diuitias artibus præ-
stantiores esse statuit, consulat is Democri-
tum, & querat ab eo cur patrimonium suum
amplissimum patria donarit? ac paucis so-
lummodo nummulis ad percipiendam doctri-
nam & exercendam Athenas profectus sit?
querat ab Anaxagora, cur prædio relicto diu-
turnam peregrinationem suscepit? aut cur
reuersus eius ruinam adeò contemserit? Se-
culum esse non potuisse respondebit, nisi illa
perierint. Ad sanguinem autem illustrem
immortalitati consecrandum qui doctrina
non opus esse contendunt, vehementer er-
rant. Multa enim familiae olim nobilissi-
ma nunc extenuata sunt, multa diuturnitate
temporis absorpta, multi procul dubio,
quod ad ortum attinet, nobilissimi, quod ad
opes ditissimi homines ignorantur, eò quod
ad fortune dona literas minus adiunxerunt,
& stirpis laudem non exornarunt doctrinae
gloria. At verò non modò non abolita est,
sed indies augetur ea nobilitas, quæ ita gra-
dum suum artibus firmavit, ut diuturnitatis
metum perpetuitatis literarum spe exemerit.
Existat

Existat igitur ex nobilibus aliquis & potissi-
mum Rutenus literarum ignarus (minimè
enim laudare id potest, cuius bonitatem nun-
quam degustavit) existat inquam Rutenus
aliquis, ac generosum virum literas non de-
cere differat. Tum tu Alphonsi Arrago-
num rex huic tam insulsa orationi te oppones,
& pro insigni tua prudentia & literarum a-
more, nobiles sine artium cognitione asinos
coronatos appellabis, & vocem hanc artium
contemptricem bouis non hominis esse dices.
Platonem quoque Dionis, Isocratem Timoa-
thei, Lysiam Epaminunda, Xenophontem A-
gesilai, Aristotelem denique Alexandri pe-
dagogum monstrabis, nullumq; imperium si-
ne doctrina firmum, moderatum aut felix
esse potuisse conuincas. Quamobrem cum
nulla tanta sit humilitas qua dulcedine glo-
ria non tangatur; colamus literas; simul no-
minis nostri memoriam excolemus. Verùm
ad illam nunc veniamus praclaram artium
iucunditatem, qua ingenuo homine est dia-
gnissima. Quid enim tam est iucundum,
quàm ita concinnare varios sonos, ut non
modò homines delectent, sed & bestias fle-
ant, & saxa ac solitudines excitent? Ex

artibus harmonia existant, quæ ad imum hu-
manæ mentis spiritum penetrant, ferarum
naturam suavitate admirabili transformant,
ipsa denique saxa, ut resonent excitant.
Quid tam suave, quam ita demulcere homi-
num aures, ut ipsorum silentium theatri plau-
sum adaugeat? artibus debent quicumque
grata facundia templum, prudenti eloquen-
tia curiam complent, iudicioq; & oratione
pollentes legationes publicas cum admiratio-
ne obeunt. Quid tam dulce, quam ea quæ
videntur in terris Dei opera non videre so-
lum, sed naturam etiam eorum viresq; per-
spicere? Hæ artes rerum principia & causas
tractant, hæ quomodo quidq; gignatur, quoq;
modo intereat, edisserunt: hæ nymborum,
fulminum, tempestatum ortus, hæ corporum
cælestium magnitudines, intervalla, pro-
gressionem; hæ omnium eorum quæ ex terra
nascuntur, naturas explicant. Voluptates
omnium rerum si cum his conferantur, pares
esse nequeunt. Sicuti enim odor odorem
collit, lux maior minorem restringit: sic ha-
rum artium delicijs reliquarum blandimenta
corruunt. Sed benè hæc differeres dixerit
quispiam, si non aut tanta artium difficultas,
aut

aut fortuna esset iniquitas; quæ obstat quo-
minus in suscepto literarum curriculo possi-
mus progredi. Ego verò contradicere non
ausim Poëta, qui negat facile emergere eos
quibus res sit angusta domi: quod sapientia
quæq; maiorum eleganti imagine expressit,
qui pinxerunt puerum alis ornatum, quarum
beneficio loca etiam summa capere posset, nisi
à tergo impendens pondus ipsum deprime-
ret. Viderant nimirum præstantiss. viri,
multorum tam acria esse ingenia, ut montis
Aoni fastigium obtinere facile possent, nisi
duro paupertatis onere depellerentur. Sed
tamen ne hoc quidem infirmari potest, quod
scitè Theocritus tradidit, artes inuentas esse
à paupertate, quæ efficax virtutis gymnasiū
à Plutarcho appellatur. Vnde Horatium:
Ut versus faceret paupertas impulit atrox.
Quod si temporis ferret ratio, plurimos in
maxima rerū omnium inopia vixisse demon-
strare, quib. excellens doctrina non moritu-
rā nominis famā comparavit. Zeno egestate
impulsus clam per posticum Palamonis ad leo-
gentem audiendum irreperet. Zenonis an-
ditor Cleanthes de nocte aquam mercede
hauriret, ut incumbere studijs de die posset.

Multi alij recenseri possent, verum notum est
illud Poeta:

Gloria diuitijs claros Par-
nasia paucos
Paupertate manet pressos
sine crimine multos.

Fortè igitur est quod opibus destituti adole-
scentes ingemiscatis; non est quod animo cae-
datis. Spem in uno Deo collocare: quo cum
auctore & principe studiorum viam sitis in-
gressi, eodem etiam duce, ad optatum finem
peruenietis, ad metamq; propositam feliciter
aliquando pertinetis. Vos quae vestri sunt
officij curate, quantum in vobis est laborate,
eventum Deo commendate. In primo gradu
non potestis consistere? consistite in tertio,
quarto, ultimo. Centuplum fructum ferre
prohibemini? ferre decuplum, quintuplum,
duplum. Modò ne laborum fracti formi-
dine deficiatis. In quanta enim pericula
milites sese lucri causa conijciunt? quoties
feruorem astitis, quoties hyemis frigus tole-
rant, ut stipendium militia debitum nanci-
scantur? Illi ut corpus alant, vigilijs non
turban-

turbantur: vos ut animū nutritis laborem
reformidabitis? Ut caducum ac multis expos-
situm periculis thesaurum mereant, ab ipsa
morte illi non abhorrent: vos ut perenne
munus consequamini, nihil feretis? Quod
si hac impedimenta vobis ad Aegyptiorū edes
aditum intercludere non potuerunt: non est
quod eorum latratus extimescatis, qui canum
instar abstergere aduenientes conantur, quo-
minus vasa aurea & argentea inde aufe-
rant, & ad usus sacros transferant. Parū
enim abest, quin plerique vel irraucuerint,
vel ita consternati sint intuitu recte ratio-
nis, ut ne hiscere quidem contra exemplo-
rum auctoritatem audeant. Si praecepto-
rum desideraretur industria, nihilominus
satis causa esset, cur ipsi ad cognitionem ar-
tium contenderetis: iam cum Rectoris nostri
clarissimi tanta sit diligentia, quanta in ho-
minem cadere potest maxima: qua vos de-
cet alacritate agellos vestros optimo ac di-
ligentissimo agricolae subigendos, excolendos,
ad nobilissima semina preparandos committe-
re? ne olim in Academia luce sine cultura
iaceant, nec fructum ullum proferant. Ego
de me gloriari non possum, nec si possem li-

ceret, nec si liceret vellem: quàm strenuè ca-
teri collega quæ sunt partium suarum pera-
gant, nemo vestrum est qui ignoret, sola ve-
stra requiritur diligentia: vestra futura
est quæ ex artibus proficiscitur gloria & uti-
litas, vester etiam erit labor & vigilia.
Quando autem à solo numinis divini auxilio
agendi primordia capienda sunt; quod su-
perest optimi IESU optimo patri Deo pia
vota faciamus, huic supplices manus tendam-
us, huic summa animorum demissione atq;
ex intimis cordis affectibus deprecemur, ut
tam docentium quàm discipulorum laboribus
incrementum adferat, felicesq; successus be-
nignè largiatur. Te igitur generis humani
fundator ac instaurator Deus, cuius bonitas
altitudine caelos superat, profunditate ad
ima terra viscera penetrat, latitudine in o-
mnes mundi plagas se dilatat: te precamur,
ô mitissime Pater, animos nostros Spiritu tuo
sancto illustra, à cordibus stuporem, à corpora-
ribus inualetudinem, à voluntatibus socordia-
m, inconstantiam, maliciam, procul arce &
honestæ consilia confirma, quacunque ea im-
pedire possunt, impedi. Descende ros ab
hermon & Sionis colles irriga: cælestis aura
agros

agros tuos refrigera: ignis diuine frigoris
vigorem dissolue: unguentum ab Aaronis
capite dimanans pectoris solum exile, &
macrum obline, & artium vomere perstrin-
ge, quo feliciter capere sacrum semen,
& fruges huic vitæ utiles, æ-
terna congruentes pos-
sit effundere.
DIXI.

ORATIO SEPTIMA.

I quem forte inusitata ex hoc loco dicendi ratio admiratione adficit, is adhibita re et a ratione mirari desinat; eosque potius suspiciat, qui hoc tempus tacendo non curare, quam dicendo honorare malunt. Quotus enim quisque est, qui (modo ne omnis iudicij expertus sit) si spaciis prateriti temporis, ac vite ineuntis memoriam recordetur ultimam, non plurimum se diuina clementia pro excubijs & fida Angelorum custodia, debere intelligat? In sedem & inueterauit in Christiana Ecclesia consuetudo ista multis modis predicanda, ut frequentissimo hominum conuentu quotannis certum tempus angelorum memoria destinatum celebretur, & publica utilitatis publica grati animi signa edantur. Pristino mori urbis nostra incole insistant, hisce diebus frequentes concionibus intersunt, alta voce Deum Opt. Max. pro sanctorum spirituum subsidio vel presidio potius laudibus effervant. In hac igitur omnium letitia, dum templa, ara, suggesta vocum tibiaarumque can-

tu personant, nostrum ordinem tacitum de-
litescere, non modò indecorum sit, sed planè
impium. Enimverò cum nulla hominum cona-
ditio est, quæ non insidijs ac fraudi aduersis-
sime omnium mortalium hostis Diaboli exposita
ita sit: tum nulli maiori odio vires suas &
arma intentat quàm huic nostræ: cui eq̃ infe-
stior est, quo maiorem inde iacturam se ac
detrimentum capere animaduertit. Quor-
niam enim Scholæ tum Ecclesiæ tum Reipub.
quasi seminaria sunt, è quibus planta eiusmodi
generantur & propagantur, quibus ve-
nena pestiferi Draconis ex hominum medio
tolluntur, & viperino eius morsui, medicina
adfertur, in hoc vno maxime desudat, ut
Dei hortulos disturbet, affligat, comminuat,
desipet. Itaq; etiam discipuli, sæpè aut ni-
mo feruore ac ferocia eò perducit, ne præce-
ptoribus in ludo literario, parentibus & he-
ris intra priuatos parietes obtemperent: aut
nimio torpore ac desidia à scholasticis studijs
auocat, ne pulcerrimis sanctissimisq; muneribus
opera ipsorum accommodata olim atque
utilis esse possit. Quemadmodum enim
latrones non reperiuntur ijs in locis, ubi græ-
mina tantum aut spica colligantur: sed eo
potissimum

potissimum conflunt, ubi se auri & argenti vim corradere posse sperant: ita hic homicida cum suis assiduis non tam in vulgari laetibus continetur, quam in scholarum officina atque in Ecclesia luce, quam praes alius occupat, eiusque tenebras suas densissimas terribilissimasque obfundere quoquo modo conatur. Quo magis a ille ad perniciem, hoc angelus ad salutem ceteris scholastici vigilant, hunc fouent, hunc tuentur, cum hoc si venit veniunt, si abirent, huic discipuli assident, canenti accedunt: pijs discipulis felices studiorum progressus pariunt, praeceptorum fauorem, aliorumque benevolentiam tenuitatis subleuatricem conciliant: impijs resistunt, ne aut exemplo commilitonibus, aut impietate praeceptoribus noceant. Quomodo queso in effrenis seculi nostri effrenata audacia docentium non dicam autoritas, sed vita sine angelorum custodia seruaretur integra? Multi saepe in praeceptorum conspirarunt interitum, pauci autem voti sui facti sunt compotes, idque caelestium tutorum assidua diligentique tutela. qui procul dubio etiam nunc huius nostri conuentus custodes, praesides, propugnatores, omnium nostrum dicta & facta observant, bonis delectantur

Elantur, prava auersantur, & quantum in ipsis
est, impediunt. Quando igitur de angelis
angelorumq; officijs: & cultu Deo pro us de-
bito dicendi prouinciam suscepi: agite vi-
ri praestantissimi & bonae spei adolescentes
exigui admodum temporis attentionem mi-
hi largimini; ego id dabo operam, ut quod
elegantia non possum, breuitate audiendi ta-
edium auferam. Atq; ut ab omnium rerum
origine oratio mea oriatur, mundi ille effes-
tor & molitor Deus, ut creaturas alias, ita
& has de nihilo condidit, potentiaq; sua speci-
men insigne eo ipso omnibus spectandum deo-
dit. Quanquam enim non nemo propter
donorum, quibus ornati sunt, excellens
tiam ipsos in diuini operis societatem adsci-
uit, ac prima foundationis ministros fecit: ta-
men omnium autoritas tanta non est, ut ab
vnius libri sacri auctoritate nos dimouere
valeat: qui à Deo factos esse non dissimula-
ter asserit. Illud quidem certè decernere
non est in nobis positum, utrum ante altissi-
mum Dei domicilium, an una cum illo esse
cœperint; an verò cum ducibus tem-
porum Sole ac Luna, qui cœli exercitus
dicuntur, primum exstiterint? Neque enim
certum

certum quid hac de re in sacris expressum
legimus; nec saluti nostra quicquam aut sci-
entia eius conducit, aut ignorantia officit.
Proinde missa hac questione curiosa magis
quàm utili, ee potius cogitationes nostras di-
rigamus, ut quidnam angeli sint indage-
mus; summam certè ipsorum felicitatem, &
Auctoris bonitatem dicam an potentiam,
maximè admirandam cognoscemus. Ad-
spicite quæso mecum terra vultum p'ullò an-
te floribus, nunc frugibus lepidissimis redi-
mitum. Adspicite cæli faciem infixis sive-
ribus sempaterno igne fulgentem, quin ad-
spicite ipsum hominem; qui vel solus omnium
eorum quæ in mundo sunt particeps est. Cum
rebus enim inanimis corporis crassitiem, cum
stirpibus animæ vigorem, cum brutis sensum
cum Deo ipso intelligentiam habet commu-
nem, quibus quid præstantius? quid splen-
didius? quid admiratione dignius? At ve-
rò hæc omnia cum Angelis nec donorum ma-
gnitudine, nec præstantia natura, nec ullo
virtutum genere possunt conferri. Decus
agrorum nimbis frigoribusq; interit: mun-
di ingens hæc machina corruptioni obnoxia
ad ruinam iudices accelerat: hominis assiduã
calas

mitatem semper noua excipit calamitas. O
felicis spiritus, quibus ex humana sorte ex-
emptis nec error pœnam, nec rerum vicissitu-
do periculum creare nullum potest? qui tan-
quam cœli ciues perdetuò faciem intuentur
eius, qui terra fundamenta iecit, mare in-
domitum repagulis ita clausit, ut perfrin-
gere ea nequeat: qui videt omnia ipse abdi-
tus, mouet omnia ipse imòtus, concutit omnia
ipse tranquillus: ad cuius arbitrium clamant
cœli, aer disrumpitur, tellus contremiscit:
felicis, inquam, qui ad creatoris sapientiam,
potentiam, iusticiam, innocentiamq; proximè
accedunt. Abeat ex beatissimorum spiri-
tuum cœtu spiritus vertiginis, è quo ipsum
iampridem arrogans & inuisa Deo superbia
deturbauit. Neque enim ad iusticia laudem
iniquitatis pater admittitur, neque integer
esse potest is, qui natura est improbus, à cuius
sceleribus ac fraude nullum unquam facinus
abhorruit. Quod si deformitatem prauita-
temq; ipsius demonstrandam putabitis: pro-
ponam vobis (quanquam animus meminisse
horret, luctuq; refugit) sed proponam tamen
funestum illum generi humano diem, quo
primi nostri parentes, posthabito seuerissimo

N

Dei

Dei mandato, huius dolo ac blanditijs indu-
eti fructum vetitum decerpserunt, decer-
ptum comederunt, atque ita vitam arumno-
sam horrendamq; mortem in se ac posteros
suos introduxerunt. Nolite si verba vete-
ratoris aliud habent, mentem simulationum
inuolucris tectam minus euoluere. Enimue-
ra nihil aliud quasiuit scelus, quam ut homi-
nes à veri Dei cultu abduceret, ac maiesta-
tem, laudem & gloriam sacrosancto numini
debitam sibi arrogaret. Itaque etiam ipsi
Dei filio ditiones ac regna detulit, ut se di-
uino honore adficeret. Verùm quid in his ita
commoror, quae patent omnibus sacrae histos-
riae notitia vel leuiter tinctis? cur non potius
ad Angelorum, unde digressus sum vir-
tutes eximias reuertor? quae tanta sunt, ut
merito omnes nos in summam admirationem
trahant. Quid enim ipsis potentius, quorum
singulis exercitum ingentem adoriri, &
breuissimo temporis spacio profligare facil-
limum est? Cuius rei exemplum illustre in
narratione de regibus literarum monumens
tis est traditum. Cum enim Assyria rex Sa-
nheribus Iudaorum regi bellum & arma illa
laturus cum maximis copiis ad urbem Iero-
solymanam

ſolyman caſtra metaretur, & conuiſis acer-
biſſimis ipſum proſcinderet, excidium vrbe
atq; adeo vniuerſa genti minitaretur, Deum
etiam ipſum viribus ſuis imparem eſſe iactis-
taret; tandem ſuperiorum virtutem expe-
tus eſt, cum detrimento ſuo grauiffimo &
maximo. Nam qui cælum armis territare ſi-
bi videbatur, vnicæ nocte vnius angeli viri-
bus eò redactus eſt, vt amiſſis centies octua-
gies quinquies millenis militibus, cum ter-
rore incredibile mœnia deſereret, & ventis
remisq; in fugam turpiſſimam omni feſtina-
tione ſe conyceret. I nunc conuiciator au-
daciffime, & iurgij petulantis maledicta in
Sanctum Iſraelis euome. Que te tam de-
mens eò impulit audacia, vt tu mortalis cum
immortalibus prælium inires? num multis
tudo equitum? at hi vnius impetum ſuſtine-
re non potuerunt. An Iudaorum infirmitas?
Filia Sionis deridet te, & filia Ieroſoly-
ma ſuſpenſo naſo te ludificat. Facere non
poſſum, quin eandem ſerè fortunam Ben-
hadada hoc in loco commemorem; qui col-
lectis totius Syriæ viribus Samariam ob-
ſedit, & in extremas anguſtias adduxit.
Fames enim qua nihil eſt miſerius, totam

urbem adeo occuparat, ut qui ab hominum
natura alioquin abhorrent cibi, magno pre-
cio venderentur, magnis precibus emerentur.
Tum demum omnia fletu gemituq; res-
dundabant, marebant ciues, foemina cum
euulatu miserabili liberorum inedia consum-
ptorum mortem prosequabantur. Quid mulo-
tus? nihil nisi luctus, nisi squalor, nisi plora-
tus, nisi querimonia per omnes vicus, per
angiportus audiebatur. Accedebat alterius
facti dictu horrenda immanitas. Nam
mulier quaedam esurie impulsam omni omnia-
no humanitate seposita in sua ipsius viscera
sauebat: non vis ingenta, non grauitatis
partusq; recordatio, non oscula, non vox la-
mentabilis matris ensem a filioli brachia ex-
tendentis iugulo auertebat: genitrix patri-
cida simul & sepulchrum filij, luctus praefica
existebat, regi horrorem, vniuersae ciuitatis
metum incutiebat: nihil restabat, nisi ut
urbis deditioe aut vitam sibi seruarent,
aut mortem maturarent. Quod hominibus fi-
eri non posse videbatur, caeli milites, qui ad
Propheta ades castra locauerant, nullo nego-
tio effecerunt. Neque enim hastis aut gladijs,
sed solo aspectu, & simulatione praelij insi-
nitans

nitam multitudinem terruerunt, ac non solum ab urbe, sed etiam à suo ipsius comitatu, ab auro, ab argento, à vestibus auerterunt, fugarunt, repulerunt: adeò ut spaciosus terra ambitus angustus ipsis ad fugam videretur. Est hac insignis angelorum potentia: quid iusticia? quàm sanctè ab ipsis colitur? quàm strictè observatur? Prodeat in medium animo elatus, superbia tumidus, improbus arrogantia Herodes Agrippa: equitatem angelicam exitu suo tragico in lucem proferet. Cum enim aliquando magna hominum copia ad spectaculorum pompam & apparatus confluxisset: ipse indutus veste miro artificio ex auro gemmisq; contexta, è sublimi orationem ad populum habuit: vulgus vel splendore vestimenti, radiorum solarium percussu. fulgur imitantis motus, vel adulatione benevolentiam regis captans, Dei, acclamavit, vox hac, non hominis. Ipse adulatricis turba impietatem non repressit, sed fumus cum igne, testa cum figulo equiparari gestit. Ad inauditam igitur iniquitatem iusta angeli vindicta excitata est: qua elati animi fastum ita deposuit, ut qui felicitate par beatissimis habitus erat, idem

paullò post calamitate adflitissimos supera-
ret: & qui immortalitatem sibi persuaserat,
se se mortalibus singulis miseriorem conques-
ceretur. Cum enim aliorum cadauera tum
demum putrescant, ubi iam ab animis sepa-
rata sunt: ipsius viui intestina putrefacta
vermibus esca fuerunt, donec vi cruciatus mor-
zem obiret. Iusticia angelorum qua sit vide-
tis: nunc quanta integritate sint considera-
te. Neque enim aut Deum hominibus iratum
aut homines Deo aduersos cupiunt, ut con-
cordia hostis Diabolus; qui quantus est totus
ex inuidia, crudelitate, sauitia, tyrannide
est compositus: sed tum demum gau-
dio exsiliunt, si homines creatorem suum spe-
ctant, ut dominum serui, regem subditi, pa-
trem filij, quam diuinam suam affectionem
cum alijs, tum eò potissimum tempore verbis
factisq; non secus ac coloribus expresserunt,
cum Christus humanitatem nostram induise-
ret, ut diuinitate sua nos vestiret. Postea-
quam enim caelitus gratissimum hunc opta-
tissimumq; nuncium terris attulerunt; ipso-
rum Deo gloriam, terra pacem, hominibus
tranquillitatem, precantium voce regio finis-
sima circumsonuit, caelum vniuersum per-
strepuit.

strepuit. Multa sunt alia, eaq; præclara, quæ
de angelorum dignitate & præstantia in me-
dium proferri poterant: verum ijs omissis,
occurram tacite vestra expectationi, quæ
mibi iam dudum obloqui videtur: Quid ergo
tantus huiusmodi spirituum splendor? quo-
nam sese potissimum extendit? quanta dono-
rum excellentia præditi sint intelligimus:
quid verò ea ad nos, nondum assequimur.
Si id esset ingenij mei flamen, auditores, si
ea dicendi vis, ut pro dignitate hæc tracta-
re possem; campum equidem orationi meæ
vberimum hic apertum cernerem. Sive ea-
nim in cælum altissimum conscendamus, sive
descendamus in abditissimas terra partes,
sive traiecto mari in extremis oris versemur;
semper angelorum operam contemplabimur.
Etenim non duo tantum sunt, qui cum Sodo-
ma & Gomorrha vrbes florentissimæ cælitus
incensa deflagrarent, Lothum Lothiq; filias
ex flammis & fati faucibus eripuerunt: non
septem, qui perpetuò ad Numinis æterni faciẽ
adsistunt, ac summum illud bonum intuentur:
sed legiones sunt innumerabiles, qui Deo as-
siduè inserviunt; Deum unice adorant, Deum

N 4

laudant

laudant, pijsq; praconijs extollunt. Quod si hanc rem testibus confirmandam putatis; testis est vobis Propheta nobilis Daniel, qui millia millium ministrare Deo, & decies centena millia ipsi adstare conspexit. Est vatum maximus Esaias; qui cum rerum omnium moderatorem Iehouam in sublimi solo sedentem conspexisset, idem chori angelici diuinam musicam auribus percepit; qui tanta ac tam incredibili vocum contentione maiestatem eius celebravit, ut limina templi augustissimi concussa in utramque partem tota vacillarent, & aedes ignea exhalatione completa fumarent. Utinam qui ob hanc rem deficientis Prophetae labia calculo tetigit Seraphim, meam quoque exilitatem subleuet? Longè enim tenuior sum, quàm qui tanta moli par esse queam; atque ut verum fatear, ingens rerum pelagus quem conspicio, me non parum commouet. Quando autem malum iam erectum, anchoraq; praecisa sunt, quocumque ferar vela sunt faciendae. Et quoniam ad letitiam illam in qua ipsi sine dolore, sine perturbatione, sine metu degunt, nobis non nisi per varios casus, per tot discrimina rerum, ubi ex hisce corpo-

rum

rum vinculis emig-
mittemus nunc hymnos, cantus, carmina, quia
bus domus stellifera nunquam non personat:
& negotia quibus in hac arumnarum valle
presunt, quanta fieri potest celeritate per-
stringemus. Non enim concreti in aëre
vapores ab hominum commercio eos separant
sed, ut cum Tertulliano loquar, totus orbis il-
lis propter essentia simplicitatem locus unus
est. Ecclesie patroni, defensores Reipubli-
ca, custodes omnium nostrum in hoc humane
calamitatis contubernio, à piis hostium impe-
tus arcent, insidias auerunt, damna propul-
sant. Quæso, ne molestum vobis sit, si ex
abstruso Ioannis libello fœminam parturien-
tem vobis spectandam adduxero: ex ea si-
quidem Ecclesie facies aptè conspicitur, qua
connubio iuncta est. Altissimo, & verbo gra-
vida plurimos parit liberos: cui Sol iusticia
Christus vestis est: corona autem splendor
duodecim stellarum, discipulorum scilicet
doctrina, qui orbis terra lumina sunt consti-
tuti: qua lunam ideo sub pedibus habet:
quod æterna, qua supra eam sunt amplexer-
tur; qua autem infra eam sunt caduca ne-
gligat. ad hanc igitur perdendam,

N s

deuo.

deuorandam, funditus extirpandam magnus
ille, rufus, iubatus draco, stygis undas, here-
ticarum opinionum procellas plenis faucibus
semper euoruit. Illa verò in desertissima
quidem solitudine furorem irrupentium
latronum multoties experta est: sed firma
tamen contra omnes sacrorum predones, con-
tra omnes religionis furias stetit, & pressa
sape, nunquam oppressa est. Quemadmodum
enim, qui in Republica boni principis perso-
nam tuetur, ne in locis abditis à latronum
incurSIONibus subditi detrimentum capiant,
vigiles constituit, quorum presidio via mu-
niantur: ita Dux Ecclesie & coryphaeus Mi-
chael custodijs vigilisq; sponsam suam ad-
uersus omnes machinas, fallacias, prestigias
hostium sepit atque confirmat. Possum pro-
ponere septem Ecclesias Apocalypscos, quibus
septem angeli singulis singuli praeficiuntur,
ut curam ipsarum habeant. Possum è contra-
rio pestes Reipub. Christianae enumerare quã-
plurimas, qui tumultus discordiasq; innume-
ras concitarunt. Laborarunt hi, ut religio cõ-
cideret, illi ut stabiliretur. Illis concordia
proposita fuit: his dissidium & conten-
sio; illi errantibus ut rectè sentirent; hi
rectè

rectè sentientibus ut errarent auctores fuerunt. Nisi temporis habenda esset ratio, quanta semper cura, quantoque studio Ecclesiam membra protexerint, multis verbis exponerem. Cum Azaria eiusque socijs, in caminum decuplo ardentius accensum descenderent, & feruorem ignis amœnitate roris permutterent. Habacuchum è Iudæa in Babyloniam transueberent, ut prandium messoribus paratum Danieli in leonum medio sedenti apponeret. Christum ipsum sudore sanguineo in horto madentem erigerent ac sustentarent. Verum neque ego omnia commemorare possem si vellem, nec vos si possem sine molestia audiretis. Itaque instar omnium nobis erit D. Petrus, quem belua ista, cuius paullo ante mentionem fecimus, Herodes, post trucidatum Zebedæi filium, in populi furentis gratiam comprehendebat, comprehensum carceri includebat, inclusum capitis supplicio destinabat. Ne autem è vinculis euaderet, sed exactis diebus festis morte afficeretur, addebantur 4. militum quaterniones, qui vincula asservarent. Petrus Magistri exemplum sequi promptus, abiecta mortis iam iam sibi imminetis formidine, cinctus militibus, ligatus catenis dormiebat. At

At non dormiebat angelus: qui cum postria
die producendus esset, noctis caliginem, &
carceris obscuritatem clara luce illustrabat
dormientem stimulabat, excitabat, ut ocyus
surgeret mandabat. Mox catenae de manibus
vinci excidunt: ille iussus sese cingit,
pedibus calceos, pectori pallium induit. Ni-
hil hic valet carcer, nihil catena, nihil milita-
tum quaternio. Praecedit angelus, sequitur
Petrus: ignarus tamen eius quod fiebat.
Pratercunt primam & secundam custodiam,
porta ferrea ultro aperitur, exeunt e carce-
re, vicum unum procedunt, subito evanescit
angelus, Petrus ad se reuersus angeli auxi-
lium, suamque in integrum restitutionem
agnoscit, & ad suos hilaris reuertitur. Pa-
rum abest, quin exclamem ad rem adeo in-
auditam. Inauditam a. Nimò vsitatissimam.
Si quis enim in his nostris regionibus, & in-
tra hac mœnia absque angelorum ope verita-
tis praconia pro mendaciorum vanitate,
& Dei vocem pro haeticorum ululatus
audiri aestimat, vehementer errat. Quid
enim noster labor, nostra prudentia, nostrum
robur? quomodo hostis experientissimi solers-
tia, callidissimi artificio, nervosissimi viri-
bus

bus resisterent? Operosum est, pugnam pugnare cum potentissimis: Operosius cum spiritibus. Difficile est obsistere mundi dominis: difficilius si non videantur. Periculosum est dimicare cum Rectore tenebrarum: periculosius de improviso. Pereundum videlicet nobis erat singulis momentis ab ijs qui tanta ira, tantoque odio inflammati sunt, ut Deum ipsum, si liceret, de solio suo deturbarent, ac caelum terra miscerent: nisi minime defessum studium vigilantissimi angelorum exercitus nos tutarentur. Angelorum cura est, ne pro concionatorum sermone tubarum clangor, pro praeceptorum voce cornuum sonitus, pro concentu musico tonitrua tormentorum templa nostra & scholas repleant. Quamdiu angelorum turba inter nos versabitur, Ecclesia Dei florebit, & florebit ita ut nunc floret, doctissimorum virorum numero obfusa, ne commouere se Diabolus contra ipsam audeat. Ac ne illud quidem mihi praeterendum est, quod maxime sollicitos ipsos Reipublicae administratio habeat. Quantum enim fiducia in hominum viribus collocandum sit, ipsi Ethnici perspectum habuerunt. nec inscite ille ingenij ac doctrinae princeps

princeps Plato, quemadmodum boves, inquit,
non à bob. neque capra à capris reguntur, sed
à prestantiore natura: sic natura hūana infir-
mior est, quā ut seipsā regere possit: atq; ubi
non Deus sed mortalis aliquis dominatur, ibi
maiorum & arumnarum nullum est effugiū.
Vidit nimirum vir clarissimus rationis luce,
& experientia edoctus cognovit, aliud esse
industriam, consilia, prudentiam hominum,
aliud successum, felicitatem, auxilium à Deo
promanantia. Rideat hoc Viperinus Saddus
ceorum partus, rideant Epicuri de grege
porci: nos quidem certè secundum Deum
angelos conseruatores appellamus fortune
sortusq; nostra, sine quibus omnia arderent
bello, toga Marte, libri clypeis, calami hastis
permutarentur. Quis enim est ille tam om-
nis historie ignarus, qui nesciat, tum quan-
ta saepenumero vehementia perfidissimus ne-
bulo (quem detestandum magis quàm nomi-
nandum puto) in eo fuerit, ut Respublicas
benè constitutas euertaret: tum quanto ar-
dere vigiles nostri contra ipsam repugnaue-
rint: ut certis ordinibus ad munera obeun-
da politia instructa, certis legibus subditi ad
obedientiam prestandā deuincti, certis pæ-
nis

nis magistratus ad contumaciam coercendā
essent armati. Non modo vox me, sed dies
etiam deficeret, si ex historiarum annalibus
vetustatem exemplorum eruerem. Quare
non dicam quomodo angeli imperatores pra-
stantissimos, Constantinum contra Licinium,
Theodosium contra Eugenium bella gerentes
adiuuerint: neq; certamen in quod angelus
in Persia cum demone aulico descendit, res
nouabo: sed vnius Arcadij mentione facta
quiescam. Huius igitur cum summa esset pro-
bitas, summa in tuenda vera doctrina obser-
uatio: dissensionum fons & origo diabolus in
ipsum summo odio erat, malevolentiaq; suf-
fusis prorsus incredibili. Itaque hominum a-
nimos contra eum tanta ira inflammavit,
ut qui paullo ante à consilijs ipsi fuerant,
iam in eiusdem interitum conspirarent. Dux
sceleris & quasi signifer, homo perditus, Ara-
rianorum veneno infectus Caianus, qui à Cas-
ino tam re quam nomine parum distat, ex
occulto conscribebat exercitum, quo impera-
tori necem afferret, sibi imperium adiunge-
ret. Arcadius tale quid minimè suspicans ani-
mo vacuus in arce sua degebat. Cesserat
iam nefando instituto dies lux, ne virum oo-
ptimum

ptimum luce priuatum contueretur: noctis
autem tenebra latrocinium detestabile
prouehabant: instructa erat acies, ardebant
faces ad desperata urbis incendium accensa,
ferrum imperatoris lateri imminebat. Ad
ctum omnino erat de religione, de regno, de
uita ac salute Arcadij, nisi angelorum tur-
ma laterum oppositu hosti furenti audacia,
scelus anhelanti, pestem religioni nefarie
molienti, imperatori ferrum minitanti, ad
urbem aditum interclusisset, eamq; stantem
relinquere coegisset. Quid? quod unicuiq;
nostrum sine prasidio & sine custodia angelo-
rum uitae periculum in singulas horas im-
pendet? neque quisquam priuatim aut pube-
licè, ocio aut negotio, pace aut bello, in tur-
ba aut solus, sine his comitibus & administris
aggredi aliquid aut perficere tuto potest?
Quod si solum aërem peruagarentur tortuosi
serpentes, humi nos strati ab ipsorum violen-
tia essemus immunes: aut si terram tantum
occuparent, terrenisq; aduersarentur, nos lo-
cis subterraneis aduersus ipsorum incursus
muniremus. Iam cum ex aere vim corus-
scam fulminis eyciant: in terris calamita-
tes omnibus moliantur & struant: cum nauis
efficiant

gantes saepe fluctibus obruant penitusq; sub-
mergant; cum in terra latentes utero hiatus
efficiant, fundamenta concutiant, ventos
flammivomos foras proyiciant: quis in hoc
mundo locus aut tam à natura inuolutus est,
ut ab oculis ipsorum nos remoueat? aut tan-
tum firmamenti habet, ut ipsorum latrocinio
non pateat? Verùm enimvero ut ex omni
parte fremant, ut sanguinem nostrum siti-
ant: tamen ab angelis ipsorum vis inhibetur,
immanitas infirmatur, rabies contunditur.
Hi enim omnis sexus, omnis aetatis curam sus-
tinent: nutrices sunt infantibus, pedago-
gi adolescentibus, aetate prouectis rectores,
confectis baculi quibus labentes fulciuntur.
Hac ego non dicerem, nisi ipsa veritas Chris-
tus omni asseueratione affirmasset, infans
tum angelos, perpetuo adspectu frui maie-
statis diuina, & ipsi totiens praesentiam suam
facto declarassent, iuuissent laborantes, quos
escentes conseruassent. An non Tobias iu-
nior Angelum habuit in itinere conficiendo
comitem, in uxore ducenda pronubum, in sas-
nando patre medicum? Quid autem alienis
utor, cum in nobis ipsis perspicuam eorum o-
pem animaduertamus? Quis enim est, qui

O

non

non multum & sepè ex manifestis periculis
& ante oculum positis angelorum auxilio eua-
serit? quis verò qui non ex latentibus sit e-
reptus? Non equidem affirmare ausim, quod
pietate clari, auctoritate praestantissimi viri
affirmarunt, animam quamq; à natiuitatis
ortu destinatum habere peculiarem angelum:
illud tamen regis vatis testimonio freti sta-
tuere possumus, pluribus nostrorum corporum
animorumq; custodiam esse demandatam qui
nos regant, qui moneant, qui ut contra fors-
tunae tela inuictò animo propugnemus sermos
nem spiritui nostro absque sonitu immittendo
alliciant. Et quòniam breui admodum termina-
no vitae nostrae spaciū circumscriptum est:
ne tum quidem nos deserant, cum iam ad ex-
tremum vitae ventum est: sed ne mortis me-
tu à gradu deciamur, verum necessitatem
imminentem equo animo expectemus hor-
tantur: inhiantes animae exiitò lupos in scele-
ratorum sedem atque regionem praecipites
agunt: spiritum corporis solum vertentem
excipiunt, & in Abrahae sinum transportant.
Quo longius progredior, eo plura angelorum
mihi sese merita offerunt: sed licet illa se-

neis

rem non habeant, nostra tamen finem consti-
tuat oratio necesse est. Proinde ubi primum
id adiunxero, de quo ultimo loco dicere con-
stitueram, velle contraham. Etenim ipsos an-
gelos modo subirasca mihi credo, quod verbis
meis haecenus laudes sibi attribuisse, DEO
detraxisse videar. Neque enim ex operibus
suis gloriam affectant aut cultum quarunt;
sed totum illud quod prestant, quantumcunq;
est, quod certè maximum est, totum, inquam,
creatori acceptum ferri postulant. Itaque
etiam Manoam non sibi sed Deo epulare sa-
crificium facere voluerunt; ac dubio procul,
quod à nonnullis adorentur, non modo agrè
ferunt, sed tanta amentia hominum commi-
seratione grauitè ingemiscunt. Quid ergo?
inquires, salutis nostrae auctores inhonoratos
relinquemus? hos non amemus, non colamus
non omnibus modis predicemus? Honorem
illi respuunt, amorem expetunt. Quomodo
enim amore eos prosequantur, qui se ode-
runt? aut odio eos, qui ament? Quo-
modo verò amare possumus eos, quos vel im-
pietate in Deum offendimus, vel inuidia in
proximum fugamus? Cum vnus aliquis

qui à recto viuendi tramite deflexerit, in
uiam redit, letitia ipsos efferrè credimus:
quid si plures? Non minus eleganter quàm
verè Basilius Magnus ille, angelos similiter
peccatis abigi dixit, ac fœtoribus columbae,
apes fumo. Videant igitur ne errent, si
qui voluptatibus obscœnis dediti, aut fasti
turgidi ab angelis se curari autumant. Nam
cum omnibus alijs vitijs infestissimi sunt, tum
castimonia bustum luxuriam, concilia tricię,
bellorum omnium ambitionem detestantur
& execrantur. Iam, vt ad vos adolescentes
me conuertam, ne pulcherrimo sanctissimo-
rum spirituum concilio, quod huic nostro nume-
ro praeest fores claudantur: agite qua offi-
cij vestri sunt diligenter exequimini. Sper-
nitis magistratus? repudiatis parentes? iri-
ridetis praeceptores? angeli vos spernunt,
angeli vos repudiant, angeli vos irident.
Quid verò commoditatis exspectandum sit
ijs, qui vitiorum obscœnitate pium hunc gre-
gem amiserunt, omnis turpitudinis quasi spe-
ctaculum Nero nos docebit. Nullum enim fla-
gitium tam atrox, nullum facinus tam turpe
fuit, à quo ipsius furor potestate armatus ab-
horruerit. Num ciuicum Romanorum cades
ab


ab ipso perpetratis commemorabo? cum ne
ipsi quidem urbi clarissima pepercerit. quare
homo nequissimus, ut libertati suae in cogno-
scenda flamma magnitudine qua Troia pe-
rierat, obsequeretur, incendit, & patria fus-
neri septem diebus & noctibus totidem idem
spectator & auctor adfuit. An praeptori
suo optimè merito, & fratri innocentissimo
manus ipsum intulisse dicam? cum easdem
maternus etiam sanguis adperserit. Nec
verò in profana sauire ipsi satis fuit: sed
sanctissimorum etiam Apostolorum Petri &
Pauli interitu tyrannidem suam nobilitari
voluit. Cum ergo scelerum immanitas an-
gelorum opem exturbasset, diabolorum im-
portunitas effecit, ut sceleratis istis manibus
quas in patriam, in parentem, in sacra conuer-
terat, tandem sibi ipsi mortem conscisceret.
O miseros à quibus subsidia vitae ac salutis cu-
stodes abierint? felices autem cum quibus
permanferint, pro quorum incolumitate acri-
ter propugnarint, quos secum in aeternam
istam domum deduxerint. Restat ut, quod
postulat aequitas, requirit pietas, flagitat ne-
cessitas, votis pijs tanti boni auctorem cele-
bremus, ac ne angelorum praesidio nos carere

sinat, ex intimis cordis affectibus precemur.
Tibi igitur cunctarum rerum laudandarum
parens atque auctor gratias agimus, quan-
tas animo concipere, lingua eloqui possumus
maximas: quod angelos non ideo fecisti, ut
vel per aerem ludibundi volitarent vel vo-
luptatis illecebris deliniri in otio viuerent; sed
ut illis ministris utereris ad nominis tui lau-
des decantandas, ad sapientiam tuam cele-
brandam, bonitatem divulgandam, potenti-
am colendam: tum ad protegendum pios,
ad consolandum mæstos, ad eripiendum afflic-
tos, ad puniendum improbos: te precamur,
ut ipsos imperio tuo obtemperare, officiorumque
suorum munia diligenter obire facias. Pars
castra circa mœnia nostra collocet, pars cum
Satana pro salute nostra manus conserat:
Ecclesiam nostram defendat, tyrannorum im-
petus frangat, falsas de te opiniones tollat.
Academiam nostram, curiam, adeoque totam
Rempublicam horum presidio muni: ne vel
seditionibus perturbentur, vel bellis vastentur,
vel periculis opprimantur. Quinetiam
à schola hac nostra paternam tuam curam ne
abijce: angelus tui praeceptores defendant,
discipulos tueantur, discrimina ab utrisque

6

Et pericula auertant. Ad extremum, o
munificentissime Pater, ita nos tua potentia
flecte, clementia rege, bonitate tuere, ut
cum ab hac terrena labe seiuncti fuerimus,
cum illo bonis omnibus circumfluente
caelestium animorum caetu
consociemur.

DIXI.



ORATIO OCTAVA.

NON ornata minus
quàm frequens est Prophetarum
allegorica oratio, qui spiritu
diuino instigante caelestem
Philosophiam variis ac iucundissimis similitu-
dinibus conaestierunt; nec ipse Dei filius ab
eiusmodi ornamentis alienus fuit, à quo non
rarò ad populum plures continua fluxerunt
translationes, quae doctrinam caelestem caele-
stibus etiam coloribus penicilloq; pinxerunt.
Inter alia autem sacra Biblia amœno compa-
rantur hortulo, in quo arborum ubertas, her-
barum viriditas, & frugum copia accedent
detinet mireq; reficit. Hyems abiit, cantat Sa-
lomonis sapientia, & imber cessauit; flores
terra apparuerunt; instat ver; ac turtur in
regione nostra auditur: ficus oculos, vitis
gemmas adeptæ est, & odorem fundit suum.
Vnde & sacra doctrina belluo Lutherus se
singulas Bibliorum sententias quasi singulos
ramos discussisse, earumq; fruges degustasse
adserit.

adserit. Elegans sanè & tantis oratoribus
digna oratio. Nam si omnes omninò scriptura
ras, si omnem monumentorum memoriam eq
uolumus; cum his nec sapientia grauitate,
nec ubertate mysteriorum, nec magnitudi
ne consolationum, nec ullo doctrinarum gene
re possunt conferri. Illic enim diuina ful
gent oracula: hic insomnijs vaniora homi
num commenta. Illic arborum fertilitas
nos oblectat: hic sterilitas spinarum dilacce
rat. Illic veritatis aeternae liquidissimi fontes
scaturiunt; hic ab obscuro rationis capite dua
cti eunt riuuli. Quando igitur nos, teste
Apostolo, non hospites sumus, sed ciues san
ctorum, non aduena, sed Dei domestici, in
angulari lapide IESU Christo exaëdificati:
meritò nos sancta quaedam inuadere debet
ambitio, ut posthabitis terrenis, caducis, in
certis, vilibus istis, ea potissimum ambiamus,
qua per angustam portam nobis ad Christum
viam praeunt, & non nisi ad summa generos
fos hominum spiritus trahunt. Apes iam aëris
serenitas prouocat, ut vagantes ad mel fa
ciendum idoneos flores carpant, & ut Virgi
liano utar, liquentia mella stipent: homines
ad suburbanorum praediorum delicias aura
benignior

benignior & verni temporis suauitas allicit: nobis verò hoc tempus passionis ac resurrectionis Christi memoriam renouat: in cuius descriptione Amosi filius Hesaias ita perspicuus est ac dilucidus, ut comparandos ipsi paucos, anteponendum censeam neminem. In huius ergo hortum saluberrimum adolescentes dilecti me nunc sequentes, quem hisce diebus in caput 53. explicatione præterimus, vel certè obiter saltem adspeximus, surculum intentis animi oculis contuebitur. Non deerunt menti pasqua, ubi filij Dei vincula nobis libertatem, mærores gaudium, mortem peperisse vitam perpenderitis. Vobis autem viri doctissimi Rector & Collega honorandi, nisi breuissimi temporis iter molestum fuerit, quæso beneuolos in pictum Hesaiæ campum vos mihi præbetis comites, & quæ partim ingenij tenuitate impeditus, partim temporis angustia exclusus ego minus obseruâro, pro sagacitate vestra acrius inquirete, ac me redeuntem de ijs admonete. Ego quidem, ut facilius me expediam, primum de virgulto ac radice, cuius mentionem facit Propheta; deinde de eius vi, & efficacia dicendum esse arbitror.

arbitror. Atque ut inde oratiuncula mea
oriatur initium, unde omnium rerum origo
ducitur, cum bellissimum hoc mundi theatrum
stupendo ordine à Deo procreatum, varijsq;
diuina maiestatis insignibus exornatum es-
set; voluptatis domicilium paradisi oriem-
tem versus exstructus, varias arborum ac
frugum species, visu acceptas, esu dulces
produxit: inter quas dua, una quidem boni
ac mali scientia, altera autem vitæ conserva-
tione nobilis, primas obtinuerunt. Utinam
verò aut minor Diaboli inuidia serpentisq;
calliditas, aut maior Adami prudentia ac di-
uini mandati cogitatio fuisset: non excidis-
set felicitate ista in qua collocatus erat, sed
vitæ fructu vsus vitam hanc terrenam legiti-
mo tempore cum cælesti, omnium omnino
dolorum expers commutasset. Verum
valuit Satana odium, valuit præcox honorum
ambitio: lapsus est homo, & omnem poste-
ritatem in eandem secum calamitatem
traxit. Exturbatus est miser è domo pul-
cherrima vsibus suis addicta priuatus est non
modò arbore illa vitæ, sed ipso DEI adspe-
ctu, quo nemo unquam mortalium frui-
turus fuisset, nisi infinita DEI sapientia
miserrima

miserrimæ sortis commiseratione mota, ad
nouellam arborem commonstrasset aditum,
cuius vires alterius virus tollerent, & mor-
bo mortifero medicinam adferrent. Spes
nimirum facta est, Esa. II fore ut de stirpe
Iesse virga, & de radice eius flos enascatur
ac germinet, in quo spiritus Domini requies-
cat. Et alibi idem propheta, germen Do-
mini in magnificentia & gloria, terræq; frus-
tum sublimem futurum vaticinatur. Quod
ipsum in Ieremia Deus repetit: Ecce dies
venient & suscitabo Dauidi germen iustum:
eo tempore salua erit Iuda, & Israel habitab-
it confidenter. Multis alijs in locis eadem
iteratur promissio: sed instar omnium erunt
quæ hoc capite leguntur: Ascendet sicut
virgultum, & radix è terra sitiente. Sur-
culo huic nobilissimo nobilissima etiam Dau-
idis stirps erat prestituta: quæ tamen Octa-
uo Augusto Romæ imperante, iam senex, ex-
siccata, excisa & tantum non erat euulsa:
quod nemo sine vitæ discrimine se inde ortum
auderet profiteri, Radicum tantummodo fibrae
erant reliquæ, inter quas verecundia & ca-
stitatis exemplar Maria fruticata est, &
surculum hunc emisit ipsum Dei filium: qui
nature

natura infinitus, velut in arctum sese contra-
xit, & à Dei spiritu huic radici insertus, suc-
cum inde traxit, ac homo natus est: & ita
natus homo, ut nec Deus esse desierit, nec for-
dium nostrarum factus sit participans. Hæc igi-
tur est Aaronis virga, quæ olim è stirpe ex-
cisa turgentibus gemmis flores, folijsq; di-
latatis amygdalas protulit. Hæc est arbor
illa, quæ amaris Maræ aquis omnem amarum
saporem ademit, adeo ut peracerba gustata
dulcesceret, & enectum ferè siti populum re-
crearet. Hoc denique est lignum illud vitæ,
cuius folia sanitatem gentibus pariunt, quod
ipsum nomen ipse Christus sibi crucem baius
lans tribuit. Nihil quidem hoc illustrius, qui
splendor est paterna gloria, & omnes in hunc
mundum venientes illuminat, quem ipsi an-
geli intueri gestiunt: & tamen sine vlla for-
ma gratia, Bethlehemi in hanc lucem, vel no-
ctem potius, nascitur; natus in Nazareth de-
spicientibus multis suspiciente nemine, edu-
catur. Quo quid minus splendidum? quid
magis à cælesti gloria alienum dici cogitari-
ne potest? Quin sic attendite. Cum venu-
stissima hæc rosa, acquisitis quodammodo vis-
ribus, suauitate sua adflare multos inciperet,
ab

ab hirsutis spinis Iudeorum turba varijs mo-
dis peti, intercludi, suffocari cœpta est: qui
communi consilio arborem hanc radicibus
extrahere, & à terra viventium extermina-
re conantur: sed quam huic machinantur sti-
biipsis creant perniciem, & cœlorum Domino
risum excutiunt. Tantum quidem certè ef-
fecit terribima ipsorum diritas atq; imma-
nitas, ut membrorum teneritas flagellis di-
laniata, faciei venustas colaphis deformata,
capitis sanctitas spinis fœdata, totius deniq;
corporis maiestas plagis abolita, nihil humani
referret. Neque enim ex Bonauentura cal-
culus quinquies millena ducenta & sexaginta
duo tantum vulnera accepit: sed totus con-
terptus cruore maduit. Vt non immeritò de
sua innocentia, & populi sui crudelitate in
Michaa conqueratur, ac sapientissimus omnis
um Salomon hanc rem animo prospiciens, fi-
lias Sionis inuitet, ad contemplandum regem
in diademate, quo ipsum in nuptiarum die
mater coronarit. Quis queso ille est tam
durus, tam asper, tam ferreus, quem non mo-
ueat acerbissima ista Christi querela, quæ Ps.
22 non hominem se esse ait, sed vermem,
vel

vel si quid verime abiectius. Nec verò hu-
iusmodi ærumnarum vates noster fuit insci-
us, cum neget ei formam fuisse aut decorem
virumq; appellet dolorum, qui omnibus vide-
retur execrandus ac detestabilis. Videtis,
ut opinor, quomodo ad hanc plantam oppri-
mendam, exstirpandam, funditus delendam
Iudæi & infernales horti custodes acceffe-
rint. At verò nec illud vobis ignotum esse
aut potest aut debet, quod contra omnium
molitiones sola altissimis defixa radicibus
semper steterit, & palma instar, frondibus
nunquam vidua, onerum gravissimorum vis-
etrix evaserit. Neq; enim obstare potuerunt
vepres ac dumeta, quo minus sublime de
medulla Cedri & ramorum eius vertice
sarcamentum in sublimi Israelis monte plantatum
in germem erumperet, & in cedrum ingens
tem accresceret, ut sub umbra frondium eius
volucres nidificarent. Quemadmodum
enim inusitato miraculo iuxta montem Oreb
rubus arsit, neque tamen exustus est; ita
virgultum hoc ira diuina flammis, ac mortis
ignibus accensum, flagrare quidem sed non
deflagrare potuit. De surculo autem in
hac, qua mihi proposita est, breuitate, satis
mili

multa: iam ut surculi vires exploremus, ani-
mum & mentem adhibeamus ijs qua in Hes-
saiâ sequuntur: Verè languores nostros ipse
portavit. Quinam autem, inquires, isti lan-
guores? qui isti sunt dolores? Ea sanè est
vita nostra conditio, ut acerbitatem veram,
iucunditatem falsam, certum dolorem, vo-
luptatem incertam nunquam non experias-
mur. Huic cerebri infirmitas vertiginem,
inflammatio phrenesin concitat: illi epilepsia
corporis partes confundit, aut apoplexia sen-
sus praecidit. Unico verbo dicam: quot mem-
bris corpora nostra constant, tot morbis nos
singulis horis horarumq; momentis sumus ob-
noxij. At verò non hi sunt cruciatus quos
Propheta recenset; sed ij de quibus sic Bern-
hardus: Triplici morbo laborat genus huma-
num: principio, medio, & fine. Natiuitas
immunda, vita peruersa, mors periculosa.
Omnes enim ex ea arbore ortum ducimus,
qua ex occulto latrocinantis pastinaca lethali
veneno infecta, defluentibus folijs honorem
suum amisit & exaruit; nec saporem, quo
ipsa exhausta est, impertire potest traducti.
Eadem venenata suæ cauda radium nostris
radicibus infixit, ut aut steriles fructum
feramus

feramus omnino nullum, aut sylvestres inuti-
lem: neque ad quicquam natura aut usu apti-
simus, nisi ut in aeternū ignem agamur preci-
pites. Quod si evitare hoc periculum deside-
ramus, ad ramosam hanc & vegetam arbo-
rem fugiamus oportet: ut radix sitiens eius
humorem imbibat, & fructus degener ge-
neroso corrigatur. Enimvero hoc iure letari
dum nobis est, quod Christus hereditatis qui-
dem iure ad se dclatum, sed hostis infensissi-
mi astu à se alienatum hortulum redemerit;
non auri aut argenti acervo, sed precioso suo
sanguine & morte non merita, ut verè iam
sit akeldama, cuius in passione DOMINI sit
mentio. Agellum hunc suum caelestis colonus
verbi sui riuulis irrigat, & spiritus sui radijs
calefacit. O felices nos, qui quondam trunci
sine cultura, infrugiferi steriles torruosi, nunc
insitione fructus ferre didicimus, & filij Dei
sanguine adpersi, quavis Hierichuntis aut
Hierosolyma rosa sumus formosiores? Quana-
quam enim Dei simia Diabolus seminis sui ma-
litiem semper admiscet, interq; nitentia cul-
ta infelix lolium & steriles dominantur aue-
ra: tamen arboribus iusticia ac plantis Domi-
ni suum quoq; locum velit nolit cogitur relin-

P

quere

quere. Huc igitur maximam curam & cogita-
tionis nostrae pars deriuanda est, ne ex flo-
renti hoc campo euulsi sicut palmes foras pro-
ijciamur, proiecti arescamus, aridi colligamur
collecti in ignem comburendi aetrudamur.
Quo enim maiora sunt Dei beneficia, eo gra-
uiora sunt eiusdem iudicia. Frequentanda
sunt templa, utendum institutis à Christo Sa-
cramentis, ut pectoris solam exile & ma-
icælesti hac pinguedine saturetur, & ab acera-
rima rapidi Leonis potentia astuq; defendao-
tur. Incolumitatem nos & tranquillitatem
aucupemur: propugnacula ac murum firmis-
simum ad omnes impetus oppositum ipsum
Deum habebimus. Multo enim acrius vigi-
lat ille ad nostram conseruationem ac salutem
quàm lutulentus ex inferni faucibus proruens
suis ad euerisionem & exitium. Ac ne illud qui-
dem hoc in loco praterendum est, quod nu-
ptam sibi Ecclesiam diuinus sponsus cum rosa
inter spinas confert; quæ multis modis pressa
non flaccescit tamen, sed suauiter rubescens
blandimento suo magis semper spectantibus
arridet. Mittendus igitur hic hortulus is
est, à quibus tantum mollia, lenia, facilia,
blanda quaruntur: cum in eo sapissimè in nu-
bes

bes inauri halitus, repentinas ac vehementes
pluvas excitent: nec raro crescentes arbores
ab Agricola amputentur: ne fusione nimia
sylvescant aut enecentur luxurie. Quid? quod
è cœli gremio in terra sinum immissus surcus
lus non quassatus modò, sed in mortis pulve-
rem deiectus est? Rex tuus crucifixus est,
anquit Chrysostomus, & in molliem ac requiẽ
queris? Non aliorum relatione tantum acci-
pimus, sed ab ipso usu hoc sumus edocti, sepẽ
optimum quemque ex conscientia aliquo vul-
nere ita affligi, vexari, perturbari, ut volu-
ptatis gultum nunquam aut rarissimè perici-
piat: sed reuellenda sunt hæ spine, & Me-
diatoris nostri capiti insigenda. Punget nos
Satanas conscientia stimulis? bacillo ex hac
arbore desumpta retundatur, radices nostras
rodet mordens vermiculus? fraxino non
campestri illa sed cœlesti repellatur, Neque
enim conscientia vulnera ullo remedio faci-
lius curantur, quàm recordatione vulnerum
Domini. Sed ad errorum turbines descendat
aratio: qui ex atris speluncis orti ingenti a-
gmine cœlumq; diemq; nobis eripere, & au-
gustissimum Christi hortulum funditus everti
tere moliantur. Vbi nullum aliud est per fugiẽ

quam arbor pax. cuius radicibus firmiter ad-
herendum est: ne opinionum flatibus aut hu-
manarum rationum procellis ex huius hortuli
fundamento eruti, in labyrinthi ambages rae-
piamur. Imitanda sunt quercus, quae sub tere-
ra defossae duriores redduntur: & quemade-
modum arbores aliae ut plurimum robustioris
bus ramis Aquilonem spectant: ita & nos con-
spirantium hereticorum fremitu non modo
non tangi, sed in fide firmiores reddi conue-
nit: donec aeternus *Aeolus*

Lucentes ventos tempestatesq; sonoras
Imperio premat ac vinculis & carcere frenet,
tum vero:

molesque & montes insuper altos
Imponat.

Fortassis non nemo Moysi tonitrua & fulmio-
rum iactus extimescet: verum is sub opaca
huius lauri umbra, omni periculo vacuus ti-
mere desinat, in quam legis fulmen frustra
emittitur: cum Christus ideo factus sit maledi-
ctio, ut ab eius maledictione nos liberaret.

Quid multis? Nulla vita pars carere hoc vir-
gulto commodè potest. Nam si rebus secundis
voluptas quaritur: quid meditatione salutis
vobis esse incundius? hoc sit leontopod-
ion, quod nunquam è memoria elabatur. Hic

AMARAN-

amaranthus, quo nihil nobis sit formosius. Hac
euphrasia, qua nihil amabilius. Subeat animæ
nostrum vestis eoccinea, vermiculata, muri-
cata, imò corporis sanguine atrati recordati-
tum verò, iuxta veterum regulam, crucifixæ
memoria crucifigat omne vitium. Sin autem,
id quod sæpius evenire solet, anima morbus
ingrauescit, & nos indies gravius vehementi-
usq; afflicti amur, hac panaces id sola prestas-
bit, ut confectis & eiectis doloribus conuale-
scamus aliquando, & sanitati restituamur.
Ex amputata hac arbore aqua profluit, qua
non solum originis labes à parentibus adspersa,
verùm etiam omnis vitæ deformitas à nos-
bis acquisita eluitur & abstergitur, ac plaga
ad ima pectoris viscera residenti medicina
& alleuamentum paratur. Adeste igitur
quibuscunq; è venenato serpentis morso dolor
concoquit, quorum ossa & medulle cruciati-
bus astuant, guttulas ex his corticibus stillan-
tes vulneribus illinite, ut intensissimus calor
refrigeretur ac restinguatur. Quemad-
modum enim capras Cretenses sagitta con-
fectis ad dictamnum natura, ita nos peccas-
torum telo sauciatos ad hoc virgultum scrip-
tura adducit: ubi veniam supplices, vires

languidi, gratiam rogantes impetrabimus.
Neque enim Mediator noster mortem ex ne-
cessitate obiit, quia omnipotens; neque ex de-
bito, quia sanctus & immaculatus: sed vul-
neratus est ideo ut nos sanaret, vitam depon-
sit, ut mortis metu nos essemus vacui. Tea-
stis est serena cæli facies, quæ horrenda pas-
sionis impatiens sese abscondidit: tuq; ad di-
uinam vocem tota contremiscens terra, omnia
quæ ad humani generis redemptionem faci-
ant impleta esse patefactis quasi auribus ex-
cepisti. Quid ergo dubitamus, num facere me-
dicinã velis? cum ideo ex altiss. Dei domicilio
in insimas terræ partes descenderit, aut num
possit? cum possit omnia. Etenim non est terra
tantũ fructus, sed germen etiã Domini: & vir-
gultum hoc initio quidem imbecille visum est
& humile: iam verò se altissimè sustulit, &
exijt ad cælum ramis felicibus arbor.
radicibus terram implet, frondibus orbem,
cælum vertice. Sed, ut vitæ nostræ breuitas
breui oratiuncula finem adferat; quàm ea
floribus est assimilis? qui manè herbescenti
viriditate florent, vespere falce deiecti de-
ficiunt & flaccescunt. Cõmunis scilicet rerum
lex ad finem suum corporis nostri vicissitudi-

nc 173

nem quotidie accersit : neq; quisquam nostrū
est, qui crastina lucis usuram polliceri sibi aus
deat. Et certè telluris siccitas & aura intem-
peries obstant, quo minus crescere, & cedere
fructus possimus origine nostra dignas. Mu-
tandum solum est, ut mundana hac sterilitas
mutetur : per mortem cum Christo transi-
rendi sumus, ut cum eodem vita iucundiore
ac magis splendida fruamur. Quod si nobis
dirā mortis falcem intentari cognouerimus,
non est quod ad eam trepidemus, & vanis
mentes terroribus impleamus : sed potius nos
hic euelli, & in Paradisum ad surculum hunc
transferri, ibi excoli & ad nobilissima semina
preparari ardentibus votis expetamus. Non
enim clausa amplius fores cæli sunt, sed rese-
rata : admota est ex arboris huius lignis scala
cuius gradib; in sublimiores istas regiones ad-
scendere licitū est, unde in has sordes sumus
precipitati. O beatos qui huic surculo adhaese-
rint, impios qui neglexerint, miseros qui a-
miserint : Hæc auertat, istud largiatur æter-
na Dei propago, de cuius laudib; nulla unquā
lingua conticescat : quam precor ut sui amore
nos impleat, & sine metu tutos, sine pe-
riculo securos patulis diffusa ramis
opacet atq; conseruet. DIXI;

Nr 422.


8

X 2207107

V. 17

W. 17






Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



2.

Y.
dea

Gen.
one,

3974

188.

. 53.

mannd

